QUID DE MORIBUS
STUDIIS ET LATINE SCRIBENDI GENERE
MICHAELIS HOSPITALIS
EX EJUSDEM CARMINIBUS CONCLUDI POSSIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

V. SCHRŒDER
Facultatis litterarum Parisiensis olim alumnus
Gallicae Universitati aggregatus

PARISIIS
APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCIX

QUID DE MORIBUS

STUDIIS ET LATINE SCRIBENDI GENERE

MICHAELIS HOSPITALIS

EX EJUSDEM CARMINIBUS CONCLUDI POSSIT

COLUMBARIIS
Ex Typis Pauli Brodard.

QUID DE MORIBUS
STUDIIS ET LATINE SCRIBENDI GENERE
MICHAELIS HOSPITALIS
EX EJUSDEM CARMINIBUS CONCLUDI POSSIT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

V. SCHRŒDER

Facultatis litterarum Parisiensis olim alumnus
Gallicae Universitati aggregatus

PARISIIS

APUD HACHETTE ET SOCIOS BIBLIOPOLAS

VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCXCIX

L. PETIT DE JULLEVILLE

APUD FACULTATEM LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROFESSORI

HOC OPUSCULUM

DICABAT SUMMA CUM REVERENTIA

V. SCHRŒDER.

QUID DE MORIBUS
STUDIIS ET LATINE SCRIBENDI GENERE
MICHAELIS HOSPITALIS
EX EJUSDEM CARMINIBUS CONCLUDI POSSIT

PROOEMIUM

Tripartitum erit hoc libellum : primum Hospitalis mores, postea studia, denique dicendi genus et scribendi artem in carminibus latinis perspiciemus. Sed antequam hoc inceptum aggredimur, forsan haud inutile erit rationem reddere cur e versibus a nobis prolatis nonnulli e libro, quem Vlamingius Amstelaedami anno D. 1732 in lucem edidit, plurimi autem ex illo primum in vulgus emisso, ducti sint.

Hospitalis latina opera non eo vivente in publico

proposita : inter ea enim praecipue erant epistolae ad amicos vel ad proceres, quas, ut legerentur, alter alteri tradebat. Post duodecimum annum quam cancellarius obiit (1585) Jacobus Augustus Thuanus, Scaevola Sanmarthanus, Vidus Faber, Puibracius quaedam Hospitalis carmina seposita hominum manibus dederunt, quae Michael Huraltius Hospitalis, nostri nepos, Henrico tertio dedicavit[1]. Anno 1592 eadem, quamvis voluminum quaedam falso Lugduni titulum proferrent, Genevae edita sunt[2].

Postea, si cuidam epistolae Jacobi Gillotii ad Josephum Scaligerum fidem adhibemus, cancellarii carmina ipsius manu scripta vestium fimbrias invol-

1. Apud Mamert. Patissonium, ex off. Roberti Stephani, Lutetiae, 1585, in-fol.

« Il faut dire ici que c'est à Pibrac, à de Thou et aux soins de Scévole de Sainte-Marthe, que le public est redevable des poésies du fameux chancelier Michel de l'Hospital. Il seroit à souhaiter que cet ouvrage eût pu recevoir une plus grande perfection; mais la maladie et la mort de Pibrac ne permirent pas aux autres de suppléer à ce qui y manquoit : comme il étoit le maître de ces poésies, qu'il prétendoit ranger par l'ordre des dates, avant que de les faire imprimer, ce qui leur eût donné un grand jour et une grande beauté, ils ne purent pas faire la même chose. De Thou espéroit néanmoins qu'il pourroit en venir à bout, avec l'aide de Pierre Pithou et de Nicolas Le Fèvre et les augmenter encore d'un tiers. » De Thou, *Mémoires*, lib. III, 1584. Mémoires pour servir à l'histoire de France, Michaud et Poujoulat.

2. *Mich. Hospitalis epistolae seu sermonum libri sex*, Lugduni, per Hugonem Gazeium, 1592, in-8.

Anno 1609, edita sunt carmina cancellarii in *Delitiis poetarum Gallorum*.

ventia, bona quidem fortunae intercessione, a Petro Pithaeo reperta sunt [1]. Hunc autem codicem credibile est illius similem esse quem Joannes de Witt possidebat et quo Vlamingius ad editionem Amstelaedamensem usus est [2].

Utcumque res fuit, postrema haec farrago plura

1. « Le public, dit Jacques Gillot, l'un des auteurs de la Satire Ménippée écrivant à Scaliger, le 9 janvier 1602, ne se ressentira point des sermons ou épîtres de feu M. le chancelier de l'Hospital que feu son frère (Pierre Pithou, frère de François) a recouvrées miraculeusement chez un passementier, écrites de la main du deffunt, qui servoient à ce passementier à envelopper les passements qu'il vendoit, et si cela n'est pas à lui (à Fr. Pithou) nous ne le pouvons avoir » (Colomiès, *Bibl. choisie*, 1731, p. 71). Quae Gillotii epistola invenitur apud *Les Épitres françoises des personnages illustres et doctes à M. Joseph Juste de la Scala*, mises en lumière par Jacques de Reves. Harderwyck, in-8, 1624. — Vide quoque *Biblioth.* de Lacroix-Dumaine, éd. de Juvigny, 1772, t. II, p. 126, et ipsius Vlamingii praefationem.

Addit Colomiès (*op. cit.*) : « De plus voici ce que dit M. Sarrau dans une lettre à M. Pithou, descendant de ces Messieurs Pithou, écrite de Paris, l'an 1644 : « Voluisti ut te monerem de Picherelli *Cosmopoea* et Hospitalii carminibus, huc proximis Martinalibus tecum (M. Pithou étoit alors à Troyes en Champagne) afferendis. Ecce aurem vello, rogoque ut ea seponere velis : nec diutius istas opes orbi literario invideas. Ut enim cum nominis tui gloria edantur, si per te liceat, efficiam lubentissime. »

Idem Colomiès subnotat (p. 70) : « J'ai trois poèmes de ce scavant chancelier qui n'ont pas encore été imprimés; le 1. a pour titre *De postrema Gallorum in Italiam duce Guisio profectione*, de 148 vers, les Papes n'y sont pas bien traitez : les deux autres traitent de la S. Barthelemy et des mœurs de Charles IX, le 1. de 75 vers, le 2. de 60, qui n'est pas achevé. » — « Dans l'une et l'autre de ces éditions (1585 et 1592) ne se trouvent point deux Poèmes du Chancelier de l'Hospital, dont l'un a pour titre *Roma*, et l'autre *Philautia*. Ces deux poèmes se voyent dans un Recueil de Poésies Latines, imprimé l'an 1590. »

2. *Michaelis Hospitalii, Galliarum cancellarii carmina.* Editio a prioribus diversa et auctior, Amstelaedami, apud Balthasarem Lakeman, MDCCXXXII, in-8.

quam priores complectitur, neque aperta nobis causa est cur duo aetatis nostrae auctores, Duféy Icaunensis, qui Hospitalis opera edidit[1] et Bandy de Nalèche qui latina carmina in gallicum sermonem transtulit[2], illam sponte sua neglexerint. Nos autem eorum exemplo non egimus : primum librum anno 1585, et alterum anno 1732 pervulgatum una adhibuimus ; sola tamen a posteriore quae in priore deerant carmina duximus, potissimum illi fidentes qui ipso Hospitalis saeculo emissus fuit[3].

1. *Œuvres complètes de M. de l'Hospital*, par P. J. S. Duféy (de l'Yonne), avocat, Paris, 1825.

2. Bandy de Nalèche, *Traduction des poésies latines de Michel de l'Hospital*, Paris, Hachette, 1857.

3. Omnes versus quos, omisso anno, ponimus, prioris editionis libro (1585) a nobis educti fuerunt.

CAPUT PRIMUM

QUID DE MORIBUS HOSPITALIS[1] E CARMINIBUS LATINIS CONCLUDI POSSIT

Nemo est Hospitalis opus pervolvens qui non animadvertat auctorem nostrum insigni verecundia praestitisse. Tantum abest ut se ipsum intempestivis laudibus extollat, quamvis de rege et patria saepe bene meritus sit, ut etiam significet se nunquam ira invectum esse, si quem in munere reipublicae capessendo sibi praestantem videret :

Nec vero doleo (quamquam illo durius angi
Saepe bonos etiam video, valdeque modestos)
Aut me praeteritum, aut alios ad magna vocatos.
Nam factum ratione puto : fuit aptior ille,
Aut meritis etiam veterem praecurrit amicum...
(Ad Franc. Turnonium, lib. I, p. 14.)

1. Hoc appellandi genus elegimus (quanquam plerique scribunt « Hospitalius ») quia ipse ita scribebat. In Elogio facete Hospitalis a Beza « Xenius » dicitur.

Facciolati, gymnasii Patavini Fastorum auctor (1757), ita scribit : 1531, VII, kal. sept. Michael *Hospitalis* Burgundus.

Vide quoque P. D. L., *Quelques éclaircissements sur Michel de l'Hôpital* (Clermont-Ferrand, 1863), p. 33.

Nullus profecto antiquitatis sapiens aequiore animo fortunae casus tulisset, nullus majore patientia. Quam autem verecundiam praesertim deprehendimus, cum Hospitalis de propriis carminibus ipse loquitur : iis non superbit, ea fere contemnit, aut saltem integerrimo judicio ponderat. Arbitratur enim se non inter claros poetas, dilectissimos Musarum alumnos, numerandum, at solum inter eos qui ad poesim natura bene accommodati, faciles versus quasi currente calamo componunt :

Accepi (fateor) natura semina quaedam
Praeclara ingenii, scribendis versibus apta,
Quae non spernendos potuissent edere foetus,
Hujus si studii mediocris cura fuisset.
(Ad Sal. Macrinum, lib. III, p. 197.)

Sed molestis negotiis occupatus, cum judicis munere fungeretur, Musas negligere coactus est :

Continuo Musis aliena volumina verso,
Et nondum natas meditor componere lites.
Inde forum traducor, et ad subsellia plena
Pulveris et strepitus. I nunc, et, maxime vatum,
Si potes, in tanto versus compone tumultu.
(*Id.*, *id.*, p. 198.)

Attamen haud inutile erit notare Hospitalem non absolute verecundum nobis his versibus se praebere. Quod si majus studium carminibus adhibuisset, ut ipse ait, neque officii fastidiosis curis impeditus esset, non tam humiles

partes inter Apollinis discipulos forsan egisset. Quod profecto magis apparet in hac epistola ad Janum Morellum qua se ipsum purgat, quod versus condere ausus sit :

> At dicor, Morelle, malos componere versus,
> Non bene caelatos, male pressos, et sine cura
> Ac studio, faciles, puros et sponte fluentes.
> Haec mea culpa (fatebor enim) mea maxima culpa est,
> Qui rem tantam adeo, tantique laboris et oti,
> Aggrediar paucis absolvere fervidus horis.
>
> (Lib. II, p. 134.)

Quam modestiam — ni vererer insolentem verborum juncturam — libenter dicerem immodicam, praesertim cum se ipsum fingit, ante aedes Margaritae Valesiae, dubium inferatne pedem an referat : attamen nunquam « a limine sacro » eum prohibuit janitor, nunquam ipsius Margaritae contracta facies eum adeuntem morata est. Quoties contra ejus gratiam et comitatem est expertus, ex quo inter clientes admissus est. Quid ergo ad eam venire cupientem impediebat?

> Ignavus pudor, et magnis contrarius ausis :
> Natura meus ille quidem, verumtamen auctus
> Judicio (vitia ut defendere nostra solemus :)
> Idem conspectu qui me quoque principis arcet,
> Praeclusitque meas diversa monentibus aures.
>
> (Ad Marg. Val , lib. I, p. 57.)

Id autem Hospitali taedio est, quod alii sollicitae ambitioni obedientes, regum fores prima luce pulsantes,

et eos precibus continuis fatigantes, melius animos commovent et ita facilius ad exitum quem sibi proponunt, pervehuntur. E carminibus autem citatis concludatur Hospitalem aliquando pro vitio magis quam pro virtute suam ipsam verecundiam duxisse, quae a magnis inceptis deterruisset, et maeruisse quod, aequalium exemplo, sibi audacter confidere non valuisset. Ego vero non possum non credere eum postea, summa cancellarii auctoritate fruitum, et regis matris, vel Guisinorum fratrum voluntate inter aulae proceres adductum, hunc pudorem quo ipse tam graviter laborabat, non exuisse.

Erga alios indulgentiam parire solet modestia. Nonne enim scimus Hospitalem conjugem, liberos, necessarios maxima caritate, eosque ipsos qui apud eum in famulatu erant, maxima benevolentia prosecutum esse [1]? Attamen erraret qui putaret illi, quod aliis humanitate praestabat, animi robur defuisse [2]. Immo periculis obviam iit : post

1. jucundus amicis,
Hospitibus placidus, famulis non durus et asper.
(*Ad amicos*, lib. VI, p. 340.)

2. « Je dirai encore ceci : Un fameux auteur (Naudé, *Coups d'État*, chap. v) aiant défini la force de l'âme « une certaine trempe et dispo-« sition d'esprit toujours égale en soy, ferme, stable, héroïque, capable « de tout voir, tout ouïr, et tout faire, sans se troubler, se perdre, « s'étonner », ajoute que c'est à peu près comme l'a décrite Juvénal par six beaux vers de la X. Satyre. Monsieur le Chancelier de l'Hôpital, continue-t-il, « qui estoit pourvu de cette force d'esprit autant qu'aucun « autre de ceux qui l'ont précédé ou suivy, la décrivoit encore plus « brievement, quoy qu'en termes beaucoup plus hardis, desquels même « il avoit composé sa devise : Si fractus illabatur orbis impavidum « ferient ruinae. » Bayle (*Dict. hist.*).

infandam caedem eo die jussam, qui Sancto Bartholomaeo dicatur, mortem non metuit[1]. In egregia « Ad amicos » epistola[2] fortitudinem et constantiam commemorat quibus subnixus bellorum civilium procellas toleravit. Cumque ab aula extorris, propter nimiam integritatem et morum innocentiam regis matri incommodam, in Viniano suo, Stampis proximo, ultima vitae tempora transigit, veteris philosophi veram imaginem nobis refert : non indignatur, non regum iniquitati invehitur, quibus incorrupta fide diu operam navaverat, sed constans et securus aevum ducit, omni ambitione deposita[3]. Cujus praecepta a Senecae doctrina adscita jure affirmares, tanta

1. Meminisse quoque juvat quod respondit Hospitalis amicis hortantibus ut a periculo caveret, post caedem de qua dicitur : « Rien, rien; ce sera ce qu'il plaira à Dieu, quand mon heure sera venue » (Brantôme). — « Le lendemain, on vint lui dire qu'on voyoit une troupe de cavaliers armés qui s'avançoient vers sa maison; et on lui demanda s'il ne vouloit pas qu'on leur fermât les portes, et qu'on tirât sur eux en cas qu'ils voulussent les forcer : « Non, répondit-il, mais si la petite « n'est pas bastante (suffisante) pour les faire entrer, que l'on ouvre la « grande. » (Levesque de Pouilly, *Vie de Michel de l'Hôpital, chancelier de France.*)

2. Lib. VI, p. 338.

3. Vivo tamen solo vitam Laertis in agro,
Delicias animo contemnens urbis et aulae,
Ambitione procul, quae me rapere ante solebat.
(Ad Marg. Sabaudiae ducem, lib. VI, p. 365.)

Quos versus huic loco ejus testamenti conferam :

« Annus prope quintus est cum hic vivo Laertis vitam,
Oblitusque meorum obliviscendus et illis.
(Hor., *Ep.* I, II, 9.)

Nolo renovare memoriam eorum quae in hac fuga et discessu privatim publiceque perpessus sum. »

exstat in iis animi firmitas, tanta verborum auctoritas! Latini philosophi instar, nos docet a fortuna mutabili hominibus spes et gratissimos errores eripi, et una die ex altissimis fastigiis potentes evelli et dejici : sapientem solum non vincit fortuna, non humi prosternit[1]. Ut in Stoïcorum operibus, quaedam in Hospitalis carminibus

1. .... Permulta potes numerare trophaea
Hostibus a domitis, multos numerare triumphos :
Quos tamen una dies, unusque evertere casus
Et fortuna potest, laudemque abolere priorem.
(Ad Franc. Lotharingum, lib. III. p. 166.)

.... Vir fortis nunquam jacet : altius immo
Erigitur contra, pressusque resurgit, ut arbos,
Texuntur Graecis victoribus unde coronae.
(Ad Vid. Fabrum, lib. III, p. 324.)

Stultum est humanis hominem confidere rebus,
Et spectare sui similes, nitique caducis
Praesidiis, alto quae sunt firmissima coelo.
(Ad Vaccam Italum, lib. VI, 332.)

Crebro nobis in memoriam referunt Senecae consilia versus Hospitalis. Ad exemplum Senecae homines a peregrinationibus avertit; patria enim optima sedes :

Nam sedibus illi
Quos amor excivit propriis aliena videndi,
Nec caruere diu patria; sed rebus onusti
Utilibus, rediere domos, et denique dulcem
Conjugis in gremio vitam posuere beati,
Et lacrymas in morte oculis hausere suorum.
(Ad Musas romanas, lib. I, p. 3.)

Quam semel optasti, quaecumque vel obtigit olim,
Hanc cole semper, ama semper, nec desere Spartam.
(Sermo, lib. V, p. 303.)

Socratem ante oculos proponit, sapientissimum forsan hominum, qui nunquam peregrinatus est :

Sed qua natus erat, qua porro eductus in urbe,
Aedibus inque suis, immo magis intus apud se
Quaesiit, invenitque viam virtutis; et illud
Egregium merito est sapientis nomen adeptus.
(Ad Vid. Fabrum, lib. IV, p. 200.)

jactatio deprehenditur, nec idem est pudor quo procerum limen transgredi non audebat. Superbit quod sapiens est, insipientes etiam aliquantulum dedignatur, idque luce clarius in carminibus apparet : se ipsum conferre placet cum inclytis viris qui olim injusta sententia coacti, patriam et focum deseruerunt :

Exsul, at exsilio non turpi, non inhonesto;
Sed quali populus quondam memoratur Athenis
Usus in egregios, et claro nomine cives.....
Talis Aristides, et qui non moenibus urbem
Ac patriam, sed stare viris armisque putavit.
(Ad Marg. Sabaudiae ducem, lib. VI, p. 365.)

Alias nobis Flacci memoriam redintegrat, cum admonet felicitatem in sola temperantia collocatam :

Felices vero nimium, nimiumque beati,
Qui potuere bonis animos compescere rebus,
Et servare modum...
(Ad Vid. Fabrum, lib. V, p. 315.)

Modum etiam in fortitudine commendat. Omnia monstrat caduca, instabilia : sicut flores, humanae res eodem momento nascuntur et intereunt :

Caetera praetereunt, siccis ut saepe videmus
Purpureos anni flores arescere pratis.
(Ad Jac. Corbinellum, lib. VI, p. 330.)

Nos igitur, modico contenti, felicitatem in aurea mediocritate quaeramus :

> Sua (commoneo) bona quisque fruatur,
> Vivat quisque sua contentus sorte : nec illas
> Quas aut non didicit, quas non conceditur, aut quas
> Dedecet [haud unquam [1]] temerarius appetat artes.
>
> (Sermo, lib. V, p. 303.)

Mirari liceat Hospitalem tam diversorum scriptorum, Flacci et Senecae, simul vestigia secutum : quod documento est eum non addictum ejusdem jurare in verba magistri et, utcumque animus illi rebus afficiatur, unius aut alterius inter veteres philosophos consilia capere. Ut ipse scribit Castellano [2], non debet sapiens eamdem vitae rationem semper tenere, sed libertate usus, pro rebus et tempore, recta tamen et honesta servans, non in proposito stare immutabiliter. Non profecto committerem ut Hospitalem, rigidum virum, cum levi et mobili Montano conferrem, qui rerum quasi flores decerpens et vulgi opinionem ridens, quaeque vera falsaque vicissim judicat. Quod si ab Hospitali eadem eloquentia et (specie saltem) eadem opinionis firmitate, pacis beneficia et belli utilitas, timor et spes, mors et vita, morbus et valetudo

1. Quae verba desunt in libro an. 1585 edito : ea autem invenimus in illo quem Vlamingius an. 1732 in lucem protulit.

2. Nimirum hoc illud factum sapientis, in horas,
Si toties res ipsa ferat, nova sumere semper
Consilia, et nunquam certis addicere mentem.
(Ad Petr. Castellanum, lib. I, p. 69.)

celebrantur, ne obliviscamur eum fortasse callidum poetam aut rectius causidicum, utraque sententia ita approbata, ingenii dexteritatem quasi exercere. Nisi forte apud eum, cum ita loquitur, hominem vere christianum agnoscamus, qui omnia mortalibus a Deo tributa, bona malaque, se gratum accipere confitetur. Quanquam enim fere semper in carminibus antiquorum scriptis imbuitur, nihilominus a christianorum doctrina eum nunquam recedere animadvertimus : quod quidem manifestum est, cum mortem non solum miseriarum finem (Stoïcorum instar) profitetur, sed alterius meliorisque vitae initium. Quidquid id est, nemo dubitat quin Graecorum et Latinorum discipulus fuerit Hospitalis, quorum operibus Patavii adolescens studuerat et ea aetate vivens qua renovata et revirescens antiquitas ab integro florebat. Quin etiam quibusdam videatur Hospitalis veterum nimis fidus interpres, et circa vilem patulumque orbem moratus, cum jam antea a nobis apud Platonem, Xenophontem, Virgilium, Senecam, Flaccum deprehensa refert, praesertim de virtute disserens. Illos commoneam aliquid saltem notabile et peculiare Hospitali inesse : dum enim multi sexto decimo saeculo in quorumdam veterum libris, qui voluptates et animi corporisque delicias celebraverant, propriae licentiae purgationem quaerebant, noster contra a Latinis Graecisque egregia praecepta et eximiam disciplinam mutuatur.

Inter omnes bonas artes quas Hospitalis, perlectis antiquorum operibus, in consuetudinem verterat, nulla fuit major quam abstinentia. E carminibus agnoscimus eum totam cogitationem a privatis commodis diligenter avertisse : et ille qui splendidissima rei publicae officia inivit, quibus tam facile quaestus fieri potuisset, illecebris repugnavit undique circumstantibus, aulaque recessit, si minus fortunarum expers, at certe minimis opibus praeditus [1]. Quis arbitraretur ei qui et regi et populo diligentissimam operam quondam praebuerat, necessitatem impositam a cardinale Lotharingo et Margarita Valesia filiae dotem poscendi [2]? Has preces multi (mea quidem sententia inique) incusaverunt, sicut indecoras, immo illius nomini turpitudinis notam inurentes. Qui non meminerunt Hospitalem, usque ad mortem patris, omni proprio fructu egentem, nihil aliud quam stipendia judicis muneri attributa accepisse [3]. Postea quaestus

1. Litteras inspice quas Joanni Morvilliero et regis matri, post discessum, scripsit : quibus comperire licet eum stipendia servorum ne quidem persolvere posse (Vide Fonds Dupuy, vol. 194).

2. Ad Card. Lotharingum, lib. II, p. 89.

Ad. Marg. Valesiam, lib. IV, p. 246.

Ita loquitur in epistolâ ad regis matrem : « J'ai soixante-cinq ans passés, une femme, une fille, un gendre et déjà neuf petits enfants; j'ai un train de serviteurs que je ne puis sans déloyauté, laisser mourir de faim. Une tour de mon bâtiment tombe en ruine; avec cela, si Votre Majesté empêchée par le besoin de l'État, ne croit pouvoir m'aider, j'endurerai avec patience, cela n'est ni long, ni difficile à mon âge. »

3. « S'il faut prendre l'estimation de la livre tournois à 4 francs en moyenne, pour imaginer ce que serait aujourd'hui ce traitement, nous voyons qu'il serait de 3 600 francs environ. Il faut enfin se rappeler que

illi cancellario designato evenit haud contemnendus, fateor : quanti autem exstiterint illius sumptus satis apertum habemus. Praeter id quod dignitatis gradum tenere curae fuit (illudque nemo reprehenderet) et filiam et generum, cum liberis et famulis, eamdem domum incolentes, alere cogebatur [1]. Nil ergo injustius quam Hospitalem de hoc vituperare, eo magis quod vehementer, at nullo modo demisse, postulationem affert. Quis enim inveniat elatiora verba, et melius animi magnitudinem, melius viri honestatem significantia :

Quo mea paupertas nullis polluta rapinis,
Puras munda manus, casti fidentius audet
Ora sacerdotis, vultumque subire benigni
Principis : et dotem natis, alimenta parenti

les gages des conseillers n'étaient pas toujours régulièrement payés. » (*Quelques éclaircissements sur Michel de L'Hospital*, P. D. L., Clermont-Ferrand, 1863, p. 81 et 82.)

1. « Des quittances authentiques, émanées du chancelier et portant son sceau de cire rouge, établissent de la manière la plus formelle que ce traitement (de chancelier) était de 18 000 livres tournois par an.... Ces 18 000 livres tournois évalués à 4 francs la livre, feraient en monnaie actuelle 70 ou 72 000 francs.... On trouve dans le Fonds Dupuy un état de sa maison : elle se composait de soixante personnes, et les écuries renfermaient cinquante-deux chevaux. A l'époque où cet état fut dressé, son gendre qui vivait près de lui avec Mme de Belesbat, n'avait alors qu'un enfant, le petit Charles. D'année en année sa postérité devint ce que l'on sait; et dans les derniers temps, le nombre des serviteurs augmentant nécessairement en raison de l'accroissement des membres de la famille, ce n'est pas exagérer, je crois, que de porter le personnel de cette maison, vers 1567 ou 1568, à soixante-douze personnes au moins. On peut juger de la dépense générale appliquée seulement au nécessaire. » (*Id.*, p. 87, 88, 89, 95.)

Poscere : digna bonoque ac forti praemia cive,
Accensura animos aeternae laudis amore [1].
(Ad Card. Loth., lib. II, p. 90.)

Possitne aliquis verbis pulchrioribus optimae mentis conscientiam ostendere :

Non gratia, non metus unquam
Invictum mi animum dejecit tramite recti,
Divitias et opes contempsi, dona superbus
Rejeci, passimque oblatos victor honores.
(Ad Franc. Olivarium, lib. III, p. 148.)

Vos, qui meminisse potestis,
Et quicunque fuistis eodem in munere mecum,
Arguite, et quamvis duris me subdite poenis :
Si non praecipua et recti mihi semper et aequi
Cura fuit : si me unquam odium, si gratia flexit :
Si non et manibus puris, et pectore casto
Astraeae sacras accessi ad virginis aras :
Si non recta solo posui vestigia, si non
Tempus et omne mihi summa cum laude peractum est [2].
(*Id.*, p. 149.)

Quid plura? Nonne ita (et quis neget in his versibus sinceri nescio quid intelligi, licet quaedam ostentatio

1. Ad regem scribebat : « Je vous jure que je ne mesle le revenu des bénéfices avec le mien, et que tout ce qui restera après l'éducation de mes enfants, sera baillé aux pauvres. » (Fonds Dupuy, vol. 194, folio 12.)

2. Unum, fateor, aliquid remisit ex integritate Hospitalis. Nam, adjuvante Margarita, regis sorore, genero suo munus obtinuit, quod olim in Poterii manibus fuerat. Cujus haeredes haud immerito sibi ipsis hoc munus (a libellis adjutor, gallice *maître des requêtes*) postulaverant et questi sunt Hospitalem potius Margaritae auxilio quam generi laude apud regem vicisse. Cancellario veniam concedamus qui filiam in matrimonio collocare ea sola condicione poterat, ut aliquod munus domum ducturo praeberet. (Vide Ad Marg. regis sororem, lib. IV, p. 246.)

virtutis appareat) satis obtestatur Hospitalis inter suae aetatis homines, solum se aut fere solum, donis, muneribus, pecunia, omnibusque illis illecebris, quas pauci fugiunt, si non allectum, tamen nunquam corruptum fuisse.

Cum alii, seu ignavia, sive perversitate animo quasi inhaerente, seu etiam quid bonum, quid malum ignorantes, ad omnes libidines ruerent, ille, constantia nunquam devicta, eximia paupertate beatus et aevi sui avaritiae expers, vitam vivebat innocentissimam. Hac universa corruptela in dies augescente, et legum catenas frangente, justitiae fidens rectique cupidine impulsus, vocem tollit et perditorum scelera arguit. Conscientia enim morderetur, nisi et patriæ et regi pericula detegeret, quae illis immineant. « At, dicat aliquis, in laudibus suis aliquando haesit », aut alter etiam morosior : « De se ipso loquitur, non idem de illo forte existimabant qui hujus temporis fuerunt ». — Quod si se ipsum laudat Hospitalis, nil culpandus : nam a quibusdam (incredibile dictu) insimulatus[1], se ipsum defendere cogebatur, idque egit nimia fere verecundia, cum scripsit :

Invitus, Francisce, meis in laudibus haesi;
Sed dabis hanc veniam, dum crimina falsa repello,
Et veras odii causas sequor invidiaeque.
(Ad Franc. Olivarium, lib. III, p. 150.)

1. Crimini vertebant Hospitali quod, eo auctore, vetus lex instaurata esset, qua judices « nummos et duplicata salaria capere » vetabantur. (Vide ad Franc. Olivarium, lib. III, p. 149.)

Integer ille et castus et nullius sceleris conscius, qui judicis munere optime fungebatur, reus ipse fiebat et ad accusationem detrahebatur. Cui igitur in animo esset eum reprehendere quod illa ab improbis falso objecta dilueret?

Quod autem de viro ipso ejusque abstinentia sentiebant aequales cuique compertum. Nam omnes (omnes certe respicio dignos quibus fides adhibeatur) eum non solum non reprehenderunt, sed etiam maxima reverentia prosecuti sunt. Inter nobilissimos ponam Thuanum, Scaevolam Sanmarthanum, Theodorum Bezam, Montanum[1] et in primis Brantomum[2], cujus in scriptis, insuper lascivas nugas, plurium hodie delectamenta, multa reperias quae te de moribus et indole majorum nostrorum certiorem faciant. Qui quidem Hospitalem Catonem alterum appellat, ab illa sane tristitia longe abhorrentem, qua Cato major quasi superbire traditur.

Ab eo qui tali abstinentia et morum integritate praestitit facile intelligetur divites impugnari, qui rerum copia affluunt pravis artibus acquisita. Quorum avaritiam, arrogantiam, flagitia vehementer insectatur : nihil illis

1. Montanus qui anno 1570 Vinianum venerat, Hospitalis visendi gratia, ei Boetii latina carmina dedicavit, ita eum allocutus : « Ce légier présent, pour ménager d'une pierre deux coups, servira aussy, s'il vous plaist, à vous tesmoigner l'honneur et révérence que je porte à vostre suffisance et qualitez singulières qui sont en vous. »

2. Brantomus, *Vies des hommes illustres* (*Supplément à la vie d'Anne de Montmorency*).

concedit aut remittit. Irascitur, quod vicos et oppida tenentes, opibus subnixi, ad reipublicae munera aditum bonis invident[1] et honores cum titulis auro mercantur. Regem obsecrat ut surdis auribus ad illorum blanditias permaneat, quibus sperent se dominationem arrepturos. Per aera curru ambitionis vecti[2] (ut ipsa Hospitalis verba usurpem), illius equis frenum imponere nequeunt et jam Icaro similes, alis igne perustis, praecipites delabuntur. Mollitiem et lautitias gignunt divitiae. Quocumque oculi feruntur :

> Sincerum nihil invenias in corpore tanto,
> Nullum peste vacans, nullum sine vulnere membrum.
> (Satyra, lib. IV, p. 206.)

Increscens latenter morbus magis atque magis vires insumit, menti et corpori civium robore adempto. Nunc deliciis mensarum allecti, pugnarum labores tolerandi facultate carent, victoriae decore non moventur, et postquam in acie terga dederunt, domum turpiter revertuntur[3].

1. Sed vos urbani locupletes atque beati.
Vobiscum certare alios scelus esse putatis,
Propter divitias, quibus omnia ducitis aequum
Cedere, propter opes, quibus et regnatis in aula,
Oppidaque et vicos vestra ditione tenetis.
(Ad Marg. Valesiam, regis sororem, lib. IV, p. 251.)

2. Sermo, lib. V, p. 300.

3. At quem longa quies operum jam fecit inertem,
Coenaque longa juvat, et sextam somnus in horam;
Ille tibi raras referet certamine palmas,
Ille decem totis non mensibus ante sedebit
Moenia, sed fugiet non viso saepius hoste.
(Satyra, lib. IV, p. 209.)

Quam distabant ab illis adulteratis hominibus majores,

Prima quibus tum cura fuit servare paternum
Praediolum...
(Ad Fr. Lotharingum, lib. III, p. 167.)

Nunquam fessi et egregio bellorum sudore manantes, omnibus malis assueti erant. Fines desideriis, modum sumptibus imponere sciebant :

Nostrorum aetate parentum
. . . .
Lanea vestis erat scutatis empta duobus,
Nunc fundi reditus vesti non sufficit uni.
(Satyra, lib. IV, p 210.)

Tunc ad castra potius quam ad aulam pergentes, non procerum animos obsequiis captare, sed intra tentoria noctes totas ducere, vallum saltu superare, muros scandere curabant[1]. Ergo si quis majorum in aulam hodie veniat, quos risus commoveat, quae etiam sibila, cum horridus, pulvere sordidus inter assentatores bene unctos, vestibus holosericis et fere muliebribus indutos appareat!

Assentatores lacessit Hospitalis, acrius forte sui tem-

1. Castra sequi, et pulchram bello sibi quaerere laudem :
Raro in conspectum Regis procerumque venire.
. . . .
Nec blando sermone mereri praemia Regum :
Scire famem perferre sitimque, et frigus, et aestum :
Scire equitem medio peditemque lacessere campo.
(Ad Francis. Loth., lib. III, p. 167-168.)

poris judices agitavit. Ipse judicis munere functus erat, quod illi maximo taedio semper fuit. Audiebat moleste socerum insidias generi arguentem, uxorem conjugis, dum « canino more » raucis latratibus aures obtundebant[1]. Quod si tunc potuisset studio suo indulgere, vitae partem aliquam et sane majorem rei publicae administrationi concessisset, partem alteram musis, libenterque pulvere plenos aeternum quiescentes libros reliquisset, qui de jure tractent[2]. Ne tamen inde putes eum segniter vel etiam remisse res gessisse : ille contra a prima luce, facibus iter puero monstrante, subsellia inibat, solisque occasu recedebat. Dum collegae in porticibus

1. Dum socer insidias generi, dum conjugis uxor
Arguit, uxorem dum multat dote maritus;
Aut quum de pactis nexuque et nomine fundi
Quaeritur, aut de jure. Quid illud? Nonne molestum
Et grave, pragmaticos inter subsellia raucos
Latrantes audire canino more, nec ipsis
Parcere judicibus petulantis acumine linguae?
Haec si parva, aliis etiam praeclara videntur,
Mi faciunt stomachum forsan meliora sequenti.
(Ad Franc. Olivarium, lib. I, p. 8.)

2. Verum sic cupiam partiri tempora, magnam
Ac multo majorem habeat respublica partem;
Partem aliquam Musae, magni Jovis inclyta proles.
Ut mihi cum Baldis, Paulis, et Jasone tandem
Conveniat; per me jaceant ut pulvere pleni
Aeternum, longaque sepulti pace quiescant;
Tecum istic aliquo meliori munere verser,
Externosve adeam Reges legatus, et urbem
Romam, vel populos conjunctos foedere nobis,
Praeterea quidvis potius quam scindere lites
Et mala divisae componere jurgia plebis.
(*Id.*, *id.*, p. 7.)

In epistola ad Jac. Fabrum quae « Litium execratio » inscribitur (Lib. II, p. 78) Hospitalis « rabidas lites et jurgia saeva reorum » vehementer insectatus est.

vagabantur, inanium sermonum nugis intenti, ille in sede immotus, sine ullo laxamento manebat [1]. Ex quo facile colligere licet Hospitalem, cum summam cancellarii dignitatem obtinuit, ut pravos magistratuum mores emendaret incubuisse. Qui quidem, muneris sanctitate corrupta, ad flagitiosissima vitia descendere non dubitabant, magis propriae utilitati quam reipublicae studentes. Nam neque ob virtutem, neque ob ingenii praestantiam aut egregias indoles, sed nummorum copia freti, honores adipiscebantur [2]. Quos postquam consecuti erant aequitate omissa, nulla re nisi pecunia ducebantur.

1. Dum mihi cura fuit privatas scindere lites,
Et dare jura foro, subsellia primus inivi
Mane viam facibus puero monstrante : recessi
Postremus, decimam cum praeco renunciat horam.
Nec, quo more solent alii plerique, vagabar
Porticibus curvis, cunctanti iratus arenae,
Infensusque reis : sed in una sede manebam
Fixus, et immoto prope corpore.
(Ad Janum Morellum, lib. II, p. 131.)

Alias magistratus reprehendit quod ad judicia serius veniant, cum ipse, quamquam senex et aegra valetudine, muneris officio diligenter fungitur :

« On ne vient aux heures requises... Y en a de vieux et indisposez et excusables; mais ne soyons mignards et trop délicats. Je suis vieux et maladif, et me convient marcher lorsque je me reposerois volontiers et y suis contrainct par le debvoir de ma charge : aussi êtes-vous tous, et avez bons présidents diligens qui vous monstrent le chemin. » (Discours prononcé au Parlement de Paris, 1567.)

2. Egregius quondam, nunc turpis et infimus ordo,
Temporibus postquam coepit promiscuus esse
Omnibus et pueris passim probroque notatis,
Qui vix prima tenent elementa.

Consulto Aurelianorum civitate edicto (1561) effecit Hospitalis ut non jam liceret judicum munera pretio venditari.

Quoties judicum dedecus carminibus denuntiat qui reos condemnant aut mittunt, solam in qua nati sunt conditionem respicientes! Corvis similes (ita fatur Hospitalis) quorum non videtur fames expleri posse, miseros litigatores bonis exuunt, insigniter impudentes[1].

Neque tamen existimandum Hospitalem solis versibus judicum corruptelam insectatum esse : magnis quoque in conventibus, quibus de re publica agitabatur, sapientissimus monitor eos reprehendit. Ut tradidit Thuanus, in concilio Molinis habito (1566) pessimas ejus temporis calamitates edocuit magistratuum nequitia concitatas esse, paupertatem, inopiam, egestatem[2]. Immo a rege ipso postulavit ut gravissime in eos statueretur, qui usque ad hanc diem persuasum habentes se procul ab omni castigatione mansuros, nihil nefas arbitrarentur. Rotomagi, eo ipso

1. Accedit curis animi jactura bonorum,
Innumeri medio pascendi tempore corvi,
Victus cum victore simul spoliatus uterque,
Tota Palatinis cedunt patrimonia fiscis,
Hic finis lites et amantis jurgia, nudus
Exeat ut plena quo venerat ante crumena.
(Ad Card. Marilliacum, lib. III, p. 121.)

2. De Thou, *Hist.* (lib. XXXIX).

Ostendebat quoque Hospitalis quam inepte cives temporibus inveherentur, cum ad se ipsos respicere debuissent :

« Qu'on n'accuse pas le temps de telle perversité, ains la malice des hommes. Il n'est saison si fâcheuse qui puisse détourner ni le bon juge de faire droiture, ni le bon théologien d'interpréter sainement les Ecritures, ni le sage capitaine de bien servir son roi et défendre le royaume. Par ainsi faut-il régler et châtier les fautes des hommes, et non se plaindre du temps, qui va selon que les hommes se gouvernent. »

(La Popelinière, *Hist. de France depuis l'an 1530*, etc., t. I, fol. 383.)

anno quo Carolus Nonus ad tutelam suam pervenerat (1563), rege omnibusque iis qui illum comitabantur praesentibus, Hospitalis judicibus praescripsit ne unquam favore vel odio, studio vel invidia, sententiam ferentes, ducerentur; praesertim injunxit ut ea tempestate, qua relligio hominum animos usque ad furorem excaecaret, semper modum retinerent, nedum malis libidinibus inservirent[1].

Eodem concilio indignatus est quod judices, donis impulsi, reum nocentem noxa eximerent, culpa vacantem damnarent[2]. Cujus asperrima verba eo magis nobis probanda, quod tali in re homines gratia vigentes allocutus

1. « Je vois chascung jour des hommes passionnez, ennemys ou amys des personnes, des sectes et factions, et jugent, pour ou contre, sans considérer l'équité de la cause. Vous estes juges du pré ou du champ; non de la vie, non des mœurs, non de la religion. Vous pensez bien faire d'adjuger la cause à celuy que vous estimez plus homme de bien ou meilleur chrestien; comme s'il estoit question entre les parties, lequel d'entre eux est le meilleur poète, orateur, peintre, artisan, et enfin de l'art, doctrine, force, vaillance ou aultre quelconque suffisance, non de la chose qui est amenée au jugement. » (Harangue au parlement de Rouen. Déclaration de la majorité de Charles IX, 17 août 1563. *Œuvres complètes de Michel de l'Hopital*, éd. Dufey, t. II, p. 69, Paris, 1824.)

2. « Je viens aux dons et présens : messieurs, vous sçavez que la justice, si faire se pouvoit, debvroit estre gratuite. C'est une vierge pure et chaste, non pas seulement de corps, mais de mains et de toutes aultres parties. Anciennement, en France, les juges ne prenoient rien des parties pour faire justice, si ce n'est ce qu'on appelloit espices, qui sont depuis converties, par une vilaine métamorphose, en or et argent, et par connivence ou dissimulation, permises, modérément toutesfois. A présent, en beaucoup de lieux, elles sont doublées et triplées, et tellement que le juge ne faict plus rien sans argent. Vous ne pouvez retenir le nom de sénateurs, de preud'hommes et bons juges, avec la convoitise de vil gaing, Certes celuy qui tasche à s'enrichir par tels moyenz, de riche de biens, debviendra pauvre d'honneur. »

Harangue au parlement de Rouen (*Œuvres complètes de Michel de l'Hospital*, Dufey, *op. cit.*, t. II, p. 70).

est, neque usquam discrimina sibi imminentia cogitans, aequi rectique solum rationem habuit. Haud aliter in concilio Lutetiae habito (1567) facundissima oratione significavit judicibus, eos necesse esse inter alios egregia indole nobilitari[1]; dumque Gallia bello civili consumebatur, omniaque seditionum fautores turbabant, summa vi contendebat Hospitalis ut apud judices saltem pax et disciplina integerrimae manerent. Quae autem pax, quae disciplina sine virtute esse possit?

1. « Ung poète, ung peintre, ung grammairien, et semblables, sont estimez bons poètes, peintres, grammairiens, s'ilz sont sçavans et expérimentez en l'art et science dont ilz font profession, ores qu'ilz soient mal conditionnez; mais nul n'est bon judge, tant soit-il grand jurisconsulte et lettré, s'il n'est homme de bien. » (*Id.*, p. 127.)

His sequentia carmina conferre juvat :

Scilicet illa bono prima est in judice virtus,
Ut malit servare suos quam perdere cives :
Et si forte via modicum discedere recta
Fas erit, in lenem potius propendere partem.
Nam male corrigitur, judex quod acerbius olim
Constituit : non est ullo reparabilis error
Tempore, qui vita, famaque et nomine constat.
(Ad Adr. Dracum, lib. I, p. 18.)

Censet Hospitalis regi optimi judicis partes agendas esse (Vide carmen *De sacra initiatione Francisci II*, lib. IV, p. 255, 256 etc.), et sequentia confer :

« Je dirai plus, que tous les grands du monde doivent savoir et retenir que la justice et le bon prince sont relatifs et inséparables. » (*Œuvres complètes de Michel de l'Hôpital*, Duféy, *op. cit.*, t. IV, p. 27.)

« C'est la justice qui donne le nom à un royaume. » (*Id.*, *id.*)

« Il faut tenir pour la plus certaine maxime d'état, et ne me lasserai point de le répéter souvent, que le principal office des rois et princes souverains est de juger et faire justice. » (*Id.*, t. IV, p. 38.)

« La justice est un don du ciel, mis en dépôt entre les mains du prince souverain qui la tient immédiatement et conjointement avec sa couronne du grand juge éternel. » (*Id.*, t. IV, p. 116.)

Breviter igitur concludamus. Qui, perlectis carminibus latinis, mores Hospitalis inspicere vult, ei manifeste apparet cancellarium verecundum et timidum, etiamque haud opportune modestum fuisse, egregia animi constantia quam a veterum sapientium libris didicerat, tanta pro tempore abstinentia ut fere pauper a muneribus publicis recederet, exstitisse, vehementer divites pravos insectatum et judices qui, neglectis officiis, nulli corruptelae generi parcerent, auctoritate intemperantius utentes, ut reorum damno proficerent. Addere oportet Hospitalem et legibus quas ferendas curavit, et orationibus quas in coetibus publicis egit a se ipso non discrepare aut dissentire : eadem est prudentia, eadem aequitas [1], idem improborum magistratuum odium. Hoc quoque non excidat memoria, omnes ejus aevi confirmare quae de se, optimae mentis conscientia adjutus, asseveret : ita ut libenter dicas talem virum tali laudum consensu raro celebratum [2].

1. Haec verba confer e quadam Hospitalis oratione sumpta, quibus ipse justitiam brevi definitione designat : « Je n'ay jamais cherché tant ce nom de bonhomme, faisant plaisir à tous, que d'estre ferme, sachant que la définition de justice est une constante et perpétuelle volonté de garder et bailler à chacun le sien, en ce qui luy apartient. » (Harangue de M. de l'Hospital lorsqu'on luy osta les sceaux, extraicte sur le bordereau de mémoires et instructions escript de sa main. Manuscrits de la Bibl. nat.)

2. Unum tamen nobis est desiderio, Hospitalem jura aliquantum pervertisse, cum ad principem summi concilii (le premier président du parlement) Le Maistre muneribus amovendum aliquid contulit (18 août 1561). De hoc vide : de Ruble, *Antoine de Bourbon et Jeanne d'Albret*, t. III, p. 151 (Paris, Labitte, 1885).

Nobis quoque non omittenda est satira in Hospitalem composita, cujus primi versus sequuntur :

Il vit encore ce vieillard,
Ce meschant asne montagnard
Et voit avec impunité
De son pays l'embrasement
Dont malheureux il a esté
La cause et le commencement.

Longius progressus ita loquitur auctor :

Sa vertu est d'estre un Prothée,
Sa neutralité d'estre Athée,
Sa paix deus lignes maintenir :. ..

Carmina etiam Hospitalis reprehendit :

Car son edict des deux Églises,
Ses biens, *ses rudes poésies*,
Tesmoignent qu'oncques il n'a eu
De Dieu, de scavoir, de vertu.

(Marty-Laveaux, *Pléiade française*, Appendice des Œuvres de Jodelle, t. II, p. 348-350.) Vide quoque Tricotel, l'*Amateur d'autographes*, n^{os} 177 et 178.

Nil aliud tam probrosum et addam injuriosum adversus cancellarium scriptum est : quod autem carmen, nimia ipsa increpatione, parum legenti fidem facit.

CAPUT SECUNDUM

QUID DE STUDIIS HOSPITALIS E CARMINIBUS LATINIS CONCLUDI POSSIT

Ex omnibus vitae egregiis voluptatibus, quadam peculiariter usus est Hospitalis : ea est amicitia. Cujus et gaudia et fructus in epistolis et sermonibus laudare non desistit : attamen, ad M. Tullii exemplum, vulgarem hanc amicitiam dedignatur, cui virtus et praesidio et ornamento non sit[1]. Maxima enim diligentia praecipit amicos nobis adsciscendos, qui nostris prosperis rebus

1. At constans et perpetuo mansura videtur
Gratia, quam primum virtutis opinio junxit,
Quae mox officiis vires accepit honestis :
Ut neque pauperior locupleti blandius unquam
Palpetur, nec dives egenum flagitet ultra
Fas licitumque.
(Ad Vidum Fabrum, lib. V, p. 314.)

Haec confer quae ex libro qui *De Amicitia* inscribitur absumpsi : « Qui autem in virtute summum bonum ponunt, praeclare illi quidem, sed haec ipsa virtus amicitiam et gignit et continet, nec sine virtute amicitia esse ullo pacto potest. » (*De Amic.*, VI, 20.) — « Virtus, virtus inquam, C. Fanni et tu, Q. Muci, et conciliat amicitias et conservat. » (*Id.*, XXVII, 100.)

aeque ac nos delectentur, adversas gravius etiam ferant, ut ipsius Tullii verba usurpem[1]. Quae sentit de amicitia Hospitalis eo magis probanda quod his temporibus ea potius utilitatem quam virtutem spectabat quodque amici, aut rectius socii, ad relaxanda vitia, non ad bonas artes exercendas vires colligere solebant[2].

Itaque amicos suos praeclare hortatur, neque immerito contendas fere omnium epistolarum summam et caput praecepta esse bene vivendi. Unum admonet ne ambitione occupatus, tumulo jam proximus, domum in caelo sibi moliri obliviscatur, alium incitat ut veteres Francos imitandos sibi deligat et majorum virtutem, constantiam, abstinentiam continuo ante oculos habeat, alium ut ad pauperum et infirmorum misericordiam impellatur, alium ut patriae commodis totum se impendat. Nunc animi robur commendat, nunc benevolentiam, praesertim aequi-

1. Est in amicitiis solers adhibenda legendis
Cautio, sive humilem, seu magnum quaeris amicum.
Nam partem peccatur in hanc, peccatur in illam.
Saepius in magnis opibus, celsaque vacillat
Fortuna malefidus amor; dum splendida plebem
Nobilitas, inopem dum spernit dives amicum.
(*Id.*, p. 316.)

Vide *De Amicitia*, XIX, 69, 70, et XX.

2. Quamvis egregia loquatur Hospitalis de amicitia, noli tamen praetermittere eum profiteri non solum « sapiente », sed etiam « magno » amico opus esse illi, qui vere felix appellare velit :

Namque erit aeternum mihi felix atque beatus,
Qui placuit magno et sapienti pauper amico;

Sed protinus addit :

Praesertim virtute sua si fretus in altum
Contendit, celsique fores patefecit amoris.

tatem. Carmina latina versare licet : nullam tibi esse paginam paene asseverem, qua Hospitalis ipse egregia morum disciplina institutus, non eximiis sapientiae rationibus amicorum mentes informet.

Cum autem unus ex illis luget, varios rerum humanarum casus expertus, quanta benignitate, quanta proprii doloris significatione eum solari conatur. Me quidem non praeterit interdum in his solatiis vulgare aliquid et commune reperiri posse, non praeterit Hospitalem Senecae libellorum studiosum amatorem, nimiam eorum recordationem tenere. Quidquid id est, nemo est qui non concedat aliquid vere sincerum et ingenuum ibi deprehendi. Ut exemplo utar, inspice hanc epistolam qua, post caedem Guisini ducis, aliquod luctus mollimentum fratri Carolo cardinali Lotharingo afferre tentat, inspice eam quam ad Odetum Castillionaeum cardinalem post matris mortem scribere properat. Adde versus de funere Jac. Fabri et dominae Brissacae : verba quidem paulum inflata atque etiam turgida et nimis Senecae scripta olentia, in sensibus autem nil ficti, nil ementiti, ita ut omnia verum maerorem patefaciant.

Id vero forsitan objiciat aliquis : Hospitalem effusius aliquando laudavisse eos quibuscum litterarum commercium habuit, proceres praecipue, quorum favorem captare cupivit. — Etenim, si Hospitali plane fidem facias, Bellaius cardinalis opera condidit Marone et Tullio digna,

Lancelotus Carlus Ennii gloriae non impar fuit, Lotharingus cardinalis Ronsardi carmina non minore ingenii calliditate quam Aristarchus pendit. Nec satis : pharetram Apollo deponit, ut Castellani versus audiat; Pallas et Juno Palladis aemula certaverunt ut Odetum Castillionaeum donis cumularent, quem Venus formae pulchritudine affecit; scriptoribus antiquitatis et decus et palmas detrahere Turnebo liceat. Quid multa? Concedo apud amicos Hospitalem quasdam mentis et animi dotes in majus tulisse, quae aliis sane non singulares viderentur. De numero tamen excerpam Guisinos fratres [1]. Quibus, quamvis catholicae fidei acerrimi fautores malis libidinibus non satis imperaverint, non mediocre ingenium fuisse fateri necesse est. Adde Hospitalem auxilio amborum ab exsilio cum patre rediisse et forte ad summa reipublicae munera pervenisse. Quid igitur mirum si ab

1. Non absurde auctores quidam contenderunt Hospitalem Guisinis fratribus adulatum, quo facilius malis eorum artibus frenum imponeret. In hunc modum scribit Regnier de la Planche (*Hist. de François II*, p. 359-360). « Mais tout ainsi qu'il conoissoit le naturel de ceux de Guise, pour les avoir de longue main pratiquez : aussi eut-il ceste prudence de prévenir leurs aguets dextrement, si non comme il devoit, à tout le moins comme il pouvoit, selon la malice du temps, rabatant de leurs plus furieux coups avec une industrie singulière. Car s'estant proposé si tost qu'il eut esté establi en sa charge, de cheminer droict en homme politique, et de ne favoriser ny aux uns ny aux autres, ains de servir au Roy et à sa patrie, il luy faloit user de merveilleux stratagèmes pour contenir les Lorrains en leurs bornes. Ce qu'il vouloit toutefois executer en telle sorte, qu'ils ne se peussent appercevoir qu'il les voulust en rien contredire ni leur desplaire, sachant bien que s'ils apprehendoyent une fois cette opinion de luy, il ne pourroit rien faire qui valust. » (Vide Bayle, *Dict.*, art. L'Hospital.)

eo vel nimiis, debitis quidem laudibus, duo fratres celebrati sunt. Ceterum non prohibebatur cancellarius quin in conciliis Guisinis obstaret sententiarum auctoribus, quas et regi et Galliae damno futuras judicaret.

Proceres autem quibus beneficiorum memoria non obstringebatur, carminibus vehementer lacessere ausus est : horum arrogantiam, et flagitia, et Dei contemptionem patefacere non desistit :

Sic putat exemptam, seseque a plebe remotam
Nobilitas, si vivit iners, legumque soluta
Judiciique metu; si caedibus omnia complet,
Si praedas abigit, si pejerat, et maledictis
Incessit superos, et numina magna deorum.
(Ad Amicos, lib. VI, p. 345.)

Accipe nunc autem pravum locupletis iniqui
Ingeniumque animumque trucem, moresque superbos,
Inflatus longo comitum grege, provocat iram,
Provocat invidiamque hominum superumque deorum,
Contemnit miseros...
(Ad Vidum Fabrum, lib. VI, p. 315.)

Assentatores, « servorum agmina » praecipue castigat qui aerarium effundunt, deformi obsequio regis mentem decipientes. Erit ergo boni regis et populi utilitati consulentis illorum nefaria consilia frangere :

..... Ulla tamen rodat ne bestia fiscos,
Neve palatinus forex, aut blatta, videbit.

Scilicet haec pridem toto foedissima regno
Invaluit pestis viresque et robora pascit
Imperii [1].
(De Sacra Francisci G. R. initiatione, lib. IV, p. 257.)

Studuit amicis Hospitalis, studuit quoque regibus quibus inexpugnabili constantia totum se addixit [2]. Neque

1. Hoc autem non omittendum est : Hospitalis, ne carminum mordacitate aliquid periculi accideret, efficiebat ut aequales de illorum auctore ignorarent. Hoc enim e sequentibus verbis manifestum, quae ab epistola ad Barth. Faium scripta sumpsi :

« Tui erit judicii vel potius arbitrii quibus has nostras nugas (ita versus appellat) recites, ita tamen ut nemini facias describendi facultatem. Volo enim, si displicebunt, negare posse meas, vel a me scriptas esse. »

Quod quidem parum laudabile. Ne tamen ultra modum progrediamur et ad exemplum clarissimi nostrae aetatis historiarum scriptoris *Michelet*, ita loquamur :

« L'Hospital panégyriste facile des grands, à la mode italienne. Personne ne devinait qu'il fût très honnête et très bon, excellent citoyen.... Le malheur et l'exil l'avaient fort aplati; au dehors seulement, car le cœur était admirable. » (*Hist. de France*. t. IX, p. 228.) — « Le dirai-je? Je ne trouve rien de plus triste que de voir cet homme de bien traîner sa barbe blanche derrière Catherine de Médicis. On ne s'explique pas comment il restait là, ni quelle figure il pouvait faire au milieu de cette cour équivoque, parmi les femmes et les intrigues. » (*Id.*, *id.*, p. 325.)

Compertum habemus Hospitalem non solum versibus, sed edictis etiam optimates ad officium reduxisse. Aurelianensi edicto, quod anno 1561 promulgavit, illos vetuerat sua sponte reos damnare, terrae subjectos carceres excavare, inter vites aut messes, nisi opportuno tempore, venari. Ab altera parte judicibus injungebatur, ut infirmos et pauperes ab optimatum injuria defenderent.

2. Cum Hospitalis a rege alienatus, ab aula discessit, significavit se rediturum, ubi a rege et regina requireretur. (Tessereau, *Hist. de la grande chancellerie*, t. I, p. 149.) — Eodem tempore ita loquebatur : « Je n'ay que un roy à qui j'ay faict le serment, pour lequel je ne crains aucune offence, appuyé de luy seul, espérant en luy seul, et l'aimant pour le debvoir d'amour naturel et d'obligation, non pour esperance de credit, de faveur et de biens. » (Harangue de M. de l'Hospital lorsqu'on luy osta les sceaux, extraicte sur le bordereau de

diu quaeratur cur in aula corrupta et vitiis inquinata constiterit. Unum optabat, unum sperabat, scilicet regem exitiosa assentatorum consilia repudiaturum esse. Adolescenti adhuc Carolo Nono « veluti datus a patre tutor » ad omnia pericula adeunda, ad omnes minas oppetendas paratur, dummodo ille incolumis maneat. Regiae dignitatis quasi custos stat integerrimus. Quod intentis versibus pulcherrime exprimit :

In domini servis fraudi est tacuisse periclo :
Perfidia est etiam pupilli prodere causam
Magna, vel absentis rem non defendere amici :
At pietas patriae, pietas et debita regi
Omnibus antistat; cui non modo nectere fraudem,

Mémoires et instructions escript de sa main. — *Manuscrits de la Bibl. nat.*)

« Es choses qui touchent le roy, je regarde plus à choisir les choses profitables qu'agréables, esperant qu'il me saura quelque jour bon gré. » (*Id.*, *id.*)

Post caedem eo die jussam qui Sancto Bartholomaeo dicatur, his verbis regi scripsit : « Croyez qu'en toutes voz affaires, j'ay plustost oublié mon proffit que vostre service, et suivy tousjours le grand chemin royal, sans me destourner a droit ny a gauche, ny m'adonner à aucune privée faction. » (Fonds Colbert, folio 212.)

In testamento talia reperimus :

« Ayant fait cette remontrance en vain, je m'en allai avec une grandissime tristesse, de quoi le jeune roy m'avoit été ravi, et ses frères, en tel âge et temps auquel ils avoient plus affaire de notre gouvernement et aide; auxquels si je n'ai pu aider si longtemps que j'eusse bien voulu, j'en appelle Dieu à témoin, et tous les anges et les hommes, que ce n'a pas été ma faute, et que je n'ai jamais rien eu de si cher que le bien et le salut du roi et de ma patrie; et en ce me sentant gravement offensé que ceux qui m'avoient chassé prenoient une couverture de religion, et eux-mêmes étoient sans pitié et sans religion. »

(Brantome, Digression sur Michel de l'Hospital, dans la *Vie du connétable de Montmorency*.)

Vimque afferre nefas, verum et non ante futuris
Occursare malis, omnemque intendere curam
Tam caro capiti, non ipsam exponere vitam
Extremum scelus est, si quando tempora poscant.
Hoc vir nemo bonus faciat, nihil auferet ipse,
Nil auferre alios patietur : et ut canis acer
Thesauros domini, vigil ut custodiet anguis,
Non metuens inimicitias, odiumque potentum,
Non gladios, modo sit respublica salva, suumque
Jus teneat.

(Ad Amicos, lib. VI, p. 341.)

Nihil nisi regis utilitatem meditans, longe ab istis blanditiis abhorret, quibus verum ejus oculis dissimulatur. Eis gratias agit (et raro tales reperiuntur) qui metu soluti, non benignis verbis regi obviam ire solent, sed fidenter et propria virtute muniti, eum ad bonas artes hortantur[1]. Qui homines integerrimi ab honorum exspectatione desistere debent; nam princeps molles et blandos assentatorum sermones ingenuitati anteponit :

Non illi meritis veniunt ad praemia semper
Digna suis : raro quoniam vel fortia reges
Consilia accipiunt, vel libera mentibus aequis;
Et molli blandoque magis sermone trahuntur.

(Ad Vidum Fabrum, lib. VI, p. 322.)

1. Attamen prudentiam adhibens Hospitalis, quosdam monet nimia severitate abstineant, cum reges reprehendunt : aliter in hoc cadant ut propositum non assequantur :

Melius qui pulchra et plena salutis,
Libertate sua moderate et comiter usi,
Consilia in medium proponere regibus audent.

(Ad Vidum Fabrum, lib. VI, p. 321.)

Inter eos Franc. Olivarium praecipue laudat qui semper principi suasit ut « intra recti fines » consisteret [1] et, quamvis irasceretur blandientium turba, mentem adhibuit ut vitam vero impenderet [2]. Ceterum assentatores ipsi frustra regi adulantur saepiusque ejus offensam subeunt [3]. Quid enim levius, quid mobilius gratia regum?

Gratia regum
Instar apis volitat quae circum florida rura,
Nunc huic, nunc alii blandos aspirat amores,
Floribus et notis post paulo inimica recedit.
(Ad Vidum Fabrum, lib. VI, p. 321.)

Ex iis quae diximus, nulli videbitur Hospitalis praeter consuetudinem egisse Francisco II adolescenti multa de reipublicae administratione praecepta tradendo [4]. Cum

1. Difficilem, durum, tristem rigidumque vocabant,
Et minus urbanum, posses non aequa negare
Principibus, posses qui vultus ferre potentum,
Et suadere intra recti consistere fines.
(Ad Franc. Olivarium, lib. III, p. 147.)

2. Miramur Hospitalem, nunquam assentatorum gregi se inserentem, his verbis tamen de Catharina Medicaea locutum, in epistola quam ad Franciscum II scripsit :

At genitrice tua quæ femina mitior ulla est
Omnibus in terris?
(De Sacra Francisci II initiatione, lib. V, p. 265.)

In hoc vero defendendus est Hospitalis, quod nondum regis mater eo tempore saevitia et pravitate nobilitabatur.

3. O, spes qui posuere suas in regibus olim
O stulti nimium, quorum fuit omne placendi
Auribus atque oculis studium : fugit illa voluptas,
Et delatorum satias subit....
(Ad Vid. Fabrum, lib. VI, p. 321.)

4. De sacra Francisci II, G. R. initiatione (*id.*).

perfectam ante oculos regis imaginem sibi proposuisset, ad eam juvenem effingere optavit, recens coelesti oleo unctum. Eum docet aequitatem colere, magistratibus et sacerdotibus honores deferre solis qui virtute praestent : hortatur ut pacem nunquam dirimat, nisi coactus, ut fugiat « parta per humanas cognomina caedes », potius clemens quam fortis appellatus, et externis populis crudeli servitio pressis opem afferat [1]. Ejiciat necesse est peculatores, antiquos mores in Gallia restituat, quibus, parvo contenti majores, quondam innocentem beatamque vitam agebant, pauperibus faveat, locupletum arrogantiam contundat. Nec dignus sit regia potestate ille qui improbis delatoribus diligentem aurem commodet, et, postquam venerit in judicium reus quidam, eum inauditum succumbere sinat. Faciles aditus princeps civibus praebeat, oblatos libellos ipse manibus accipiat. A moribus absit mollities et inertia : ne illius comites sibi plus quam aequum sumant, quam leges et ratio et ipse concesserit. Expetit quoque Hospitalis ut teneris ab annis eum fidi et experimento probati amici circumeant, quos

1. Haec carmina confer :

Nulla magis populis externos praelia Reges
Commendant, quam cum monstraverit exitus illos,
Nec rem principio, nec opes quaesisse, nec ulla
Imperia, obducto simulatis artibus hamo :
Tantum sponte sua et verae virtutis amore
Ductos, auxilio voluisse opibusque juvare,
Quos vis servitio pressos aliena teneret.

(De Meti urbe capta, lib. II, p. 109.)

consulat, aliquid insigne aut arduum aggressus. Nec tamen viribus suis diffidat; audeat per se ipse et honesto aut utili studeat. Uni cedat princeps Deo, sit illi sancti numinis assidua reverentia; cui si regendum se tradiderit, mansuetus erit et bonus, subjectos imperio servabit potius quam perdet, raro aut nunquam horribili gladio usus. Finem dicendi faciens Hospitalis benevolentiam et humanitatem ante alia principi rursus commendat [1]. — Inde satis apparet cancellarium magnam regibus partem tuendam assignare, neque dissimulare quanta mole ea sustineatur. Dolet ergo illorum vicem qui mille labores, mille pericula fortiter suscipientes, saepius invidiae et odio in senectute solum occursant [2].

Quin regem dilexerit, cui a Deo ipso potestas delata sit, nemo dubitat. Sed attentius etiam patriam et patriae salutem curavit. Qui quidem aetate illa qua quisque pro factione sua agebat, pugnabat, ultroque moriebatur,

1. Ita scripsit ante mortem ad Carolum Nonum regem :
« Sire, je supplie Dieu de vous donner sa grâce, et vous conduire de sa main au gouvernement de ce beau et grand royaume, avec toute douceur et clémence envers vos sujets, à l'imitation de lui, qui est bon, et patient à porter nos offenses, et prompt à nous remettre et pardonner nos fautes. »

2. Nunc mihi conditio miserabilis illa videtur
Regum magnorumque ducum, qui mille labores
Suscipiunt et mille pericula fortiter, ipsam
Nec patriae causa dubitant profundere vitam :
Atque his nulla malis post gratia redditur, imo
Saepius invidiamque senes odiumque reportant.
(Ad Janum Morvillierum, lib. IV, p. 221.)

optime intellexit civibus gravissimum officium servandum, scilicet communi utilitati se addicere [1]. Vide, ut exemplo utar, quanta alacritate, quam bellico etiam impetu Guisinum ducem, post Quintinianam cladem, ad auxilium non regis solum, sed Galliae advocet [2]. Ut casta conjux quae maritum complexu accipit, peregre redeuntem, et lacrimas laetitia obortas effundit, haud aliter, redeunte duce, exsultat patria, rura et urbes laetitia gestiunt, dum plenis mensis festa convivia celebrantur. Omnia igitur praetermittat Franciscus Lotharingus ad ultimum casum perductae Galliae succurrens, quae in invicto duce spem invictam reponit [3]. Hoc unum

1. Vincit amor patriae generoso in corde paternum :
Nec sua cuique domus jucundior, aut magis ulli
Grata bono, quam communis vel publica res est.
(Ad Petr. Castellanum, lib. I, p. 70.)

2. Auratus quoque carmina condidit de reditu Guisini ducis post Quintinianam cladem : e quibus sequentia excerpsi :

Guisius reversus est
Et reversus est vocatus
Ut Britannias pelleret hinc pharetras :
Sic et a Roma retractus
Annibal ut patriae urbi
Subsidium, sed inane ferret : ast hic
Ancora sacra suis Gallis refulsit.
(Odarum lib. II, p. 220.)

Verborum et sententiarum elatione (licet quaedam vitia deprehendantur) multum Hospitalis, nisi fallor, Aurato praestat, cujus insulsum et jejunum est dicendi genus.

3. Aliquid vero miramur : Hospitalis a bello alienissimus pacem quaerendam censet. Quae si non conditionibus aequis impetretur, tunc praesidium Galli a Deo reposcant, qui preces et vota bonorum nunquam fastidit. Nobis autem videtur cancellarius a se ipso ibi dissidere : quid

scilicet exoptat, patriae incolumitatem, seu pace, seu bello, sed pace potius quaesitam. Christianae fidei addictus, pugnas et caedes detestatur; si tamen accidit ut cives necessitate coacti dimicent, putat illis occasionem arripiendam esse, qua mors patriae maxime prosit, nedum pericula inconsulto oppetantur [1].

Ut in epistola *De sacra initiatione Francisci II* quid debeat populo princeps, ita in sermone *Ad amicos* inscripto, quid civis patriae ostendit Hospitalis. Vult propriam vitae rationem aliis esse documento, seque ipsum, haud immerito, in exemplum proponit. Fingit se ab amicis deterreri quin publicae utilitati consulere pergat : quid enim, aiunt, cum improbis contendere prodest, quid arcem tenere quam nulla vis tueatur? Quae stultitia assentatoribus obsistere , quorum sententiae semper valeant! Hilaritatem et laetitiam reges quaerunt, virtutem fastidientes qua vultibus tristitia imprimitur. Melius ergo quod sentis tacitum intus servare et mendacia ore prodere. — At Hospitalis, cui privata in vita

enim proficit et exercitus fortitudo, et imperatoris virtus, cum a Deo praesidium omne et exspectetur et flagitetur? Poetico spiritu instinctus et Musarum numini quasi traditus, sententias verbis parum colligat, et longius progressus, quod supra dixit profecto obliviscitur.

1. Sunt qui praecipiant obeunda pericula nullo
Consilio, patriam spes sit modo posse juvari.....
Sed ratio fortes audacibus, et male cautum
Separat a prudente viro, qui prospicit ante
Quatenus audendum, quae mox eventa sequantur.
(Ad Card. Lotharingum, lib. III, p. 162.)

curae erant benevolentia et mansuetudo, easdem in homine vituperat, in quo reipublicae salus vertitur :

Jucundus amicis,
Hospitibus placidus, famulis non durus et asper
Vivo, nec invidiosa gravisque potentia nostra est
Ulli hominum. Haec ferme est rationum summa mearum,
Arbitrium quarum omne meum est, omnisque potestas.
Non eadem ratio, si quid respublica nostrae
Commisit fidei tanquam tutoribus : unde
Non modo delibare nefas, et vertere quicquam :
Verum etiam praestanda fidelis cura tuendis
Rebus, et adversum cautos vigilantia fures.
(Ad Amicos, lib. VI, p. 340.)

Itaque severus, asper, rigidus, nunquam ad indulgentiam inclinans, nihil nisi quod communi conducat respicit. Galliae igitur aerarium adversus fures defendit, illisque « adlatrat », nil libari sinit, minas irridens, quibus inimici disturbare tentant. Forsan honoribus exuetur : quid ad illum, dummodo sapientis viri officiis functus sit [1].

1. At retinendus honos sapienti, et gratia regum;
Et nisi vis cogat, nunquam ponenda potestas.
Horum immo jactura levis. Qui creditur esse,
Non est verus honos, signum magis illud honoris,
Indignis quod saepe viris dignisque videmus
Aetatis, meriti, generis discrimine nullo
Deferrique adimique : manet tamen unus et idem
Vir bonus, erectaque oneri cervice resistit;
Quoque premi sese magis urgerique videbit,
Surget eo magis atque magis, vultuque superbo
Omnia calcabit, pedibus teret obvia quaeque.
(Ad Amicos, lib. VI, p. 42.

Patriae commodis solum spectatis, « in communi tempus omne consumitur ».

Hunc patriae amorem, quoquo te verteris, in Hospitalis carminibus invenias : sed nusquam clarius appareat quam in illis quibus ducem Guisinum celebrat, Germanici exercitus victorem. Carolus Quintus imperator, postquam omnia expertus erat ut Metensem civitatem expugnaret, acerrimae obsessorum pertinaciae cedens, quibus praeerat Guisinus dux, tandem a moenibus recesserat[1]. Galliae imminenti hostium jugo liberatae exsultationem pulcherrimis carminibus expressit Hospitalis. Quem juvat praecipue tam paucos milites et cives, parvam manum, totius Europae impetum fortiter sustinuisse, nonnullos Gallos oppidulo clausos superbissimi imperatoris copias prohibuisse. Ducem laudat, laudat socios, quibus nemo apud Graecos, nemo apud Romanos conferendus est. Quibus eos appellet nominibus, ut digne laudentur, nescit. Alicui forsan altius exaggerata videatur Hospitalis oratio, et verba re majora[2]. Ne vero eum praetereat, cum Gallia tunc formidandum periculum effugisset, nil esse mirum cives, quorum Hospitalis, turgidius aliquando laetitiam suam exprompsisse. Non segnius erga

1. Vide apud Ambrosium Paraeum, illustrissimum hujus saeculi medicum, quanta fortitudine et incolae et milites et ipse dux in moenibus urbis dimicaverint (Ambr. Paré, *Voyage de Metz*, 1552, *Apologie et voyages*).

2. Fit ut Hospitalis nonnunquam patriam paulo demissius, nec tanta dicendi generis elatione celebret. Dicine jucundius posset quanta vo-

patriam studium significat, cum Henricum Secundum acriter hortatur ut Germanorum agmina, Mettarum obsidione relicta, usque ad Belgas, usque ad Batavos insectetur. Gallia tot cladibus afflicta ut resurgat, victoriisque nobilitata pristinum decus recuperet magnopere expetit[1]. Neque unquam, nonnullorum ejusdem aetatis exemplo, patriae saluti diffidit : persuasum semper habuit tales gignendos esse viros, quales exstiterant pristini cives, eadem constantia, eadem animi firmitate, eadem fortitudine praeditos. Laudes quas majores sibi paraverant meminit, nulloque modo fieri potest ut ab illorum virtute degenerent nepotes, aut etiam a se ipsis desciscant[2]. Quin immo tantus est Hospitali patriae amor, ut oculos illi fere praes-

luptate homines quidam longis itineribus fessi et jam in senectutem vergentes, penates tandem revisant.

Sic multos hominum peregre in longinqua profectos,
Cum gravis illorum incubuit cervicibus aetas,
Rursus in antiquae gremium descendere matris,
Rursus prima suae cunabula visere gentis,
Rursum haurire juvat lucem nascentibus haustam,
Et fessa in patrio deponere membra sepulchro.

(Ad J. Bellaium, lib. I, p. 43.)

1. Ad Henricum II, lib. II, p. 111.

2. Or si, comme l'on dit, toutes choses retiennent
Le propre, et naturel du lieu dont elles viennent,
Si le fort vient du fort, le cheval vigoureux
Du cheval, du lyon le lyon généreux,
Pourquoy ne pouvons-nous, si la race nous sommes,
Et la postérité de tant de vaillants hommes,
Leur ressembler aussi?....

(Ample discours au roy, etc., Du Bellay, *Œuvres*, t. II, p. 497, éd. Marty-Laveaux.)

Quae carmina primum ab Hospitali latine scripta, in gallicum sermonem deinde a J. Bellaio translata hodie evanuerunt.

tringat : quippe qui Galliam inter omnes omnium temporum gentes primum obtinere locum contendat :

Pace tua dictum sit, Romule, pace Quirites
Vestra (si quis adhuc antiquae stirpis in urbe est
Barbarico nondum pollutus semine sanguis)
Altior it coelo majorque Lutetia Roma
Attollit caput, et reliquas supereminet urbes.
(Ad Musas romanas, lib. I, p. 2.)

Dilexit amicos Hospitalis, regibus studuit, patriam amavit : ante omnia Deum coluit. Quod autem multis ejus poematibus constat. Calvinianae vero fidei an catholicae addictus fuit[1]? Qua de re magna dissensio est inter historiarum scriptores et auctorum controversia. Brevissime ergo ea complectamur, quae ab utraque parte illi attulerunt, ut opinionem suam confirmarent. Deinde e carminibus latinis forsan perspicere licebit quae nobis opinio sit assumenda.

Quod si quibusdam credas, Hospitalis, licet voluntatis inclinatione in calvinianos propenderit, ab avorum fide

1. Asseverarunt quidam (quod quidem mirum est) nullius fuisse religionis Hospitalem : « Interim Olivario Cancellario vita functo Cardinalis Lotharingus praeter domesticorum suorum omnium ac familiarium sententiam, ut Michael Hospitalis homo quidem doctus, sed nullius Religionis, aut ut vere dicam ἄθεος, in ejus locum surrogaretur, efficit. » (Beaucaire de Péguillon, *Hist.*, lib. XXVIII, num. 57, p. 937.) — Haud aliter locuti sunt Mainbourg et Odoric Raynaldus. — Fra Paolo (*Histoire du concile de Trente*, lib. IV) nos docet Pium Quartum ab omni parte haeretica judicavisse ea quae Hospitalis in concione Pinciaci habita disseruit.

nunquam discessit. Qui quidem, aiunt, monachos non solum non impugnavit, sed eos quatuor ordinibus dispartitos, rei publicae esse participes voluit, sacerdoti cuidam in domo sua victum praebuit, uni ex sororibus in monasterio viventi aliquid pecuniae testamento reliquit, non dubitavit fateri calvinianos nefariis sceleribus contaminatos [1], papae Pio quarto denique scripsit ut illi confirmaret se nunquam catholicam fidem repudiaturum [2]. Illa autem, fateamur, non sane digna sunt quae diu a nobis spectentur : nam Hospitali tam magnas partes in re publica agenti, sin minus re, at certe specie regis et principum relligio colenda erat. Temporum necessitati non solum ita inserviebat, sed etiam clemen-

1. Nam scimus et illos (*calvinianos*)
Templa sacerdotum calido foedasse cruore
Ossaque jam vita functorum extracta sepulcris
Projecisse solo, plumbi liventis amore.
(Ad Car. Card. Lotharingum, lib. V, p. 288.)

2. Hac in epistola sequentia notavi : « Scio falsos de me quosdam rumores vel ab obtrectatoribus, vel a malevolis, vel inimicis meis Romae, atque adeo per totam Italiam, Hispaniamque disseminatos, quibus rumoribus aures principum aliorum, atque etiam tuae patuerunt... Non putavi longius esse differendum purgandi mei tempus. Quod sane commodius facerem, si tenerem crimina mihi objecta ad quae responderem. »
Ab altera parte ita scribebat ad papam legatus Hippolytus Aestensis (14 juin 1562) : « Avec cela cette action qu'on intenteroit contre luy seroit sans doute fort mal fondée, puis qu'on le voit ordinairement aller à la messe, se confesser et communier, si bien qu'on ne le sçauroit convaincre apparemment de n'estre pas catholique » (*Négociations ou Lettres d'Affaires escrites par le cardinal de Ferrare, Legat en France*). — Nos quoque non fugiat ab Hospitali laudibus cumulatos cardinalem Lotharingum et Castellanum, qui ambo haud occultato odio calvinianos prosecuti sunt.

tiae et aequitati. Munera enim relinquere coactus fuisset, si catholicos aperte impugnavisset; et aliquid subsidii vexatis calvinianis ferre non jam potuisset.

Attamen inde non fit ut, ad aliorum exemplum, Hospitalem calvinianam fidem secreto consectatum esse existimemus[1]. Non ignoro quidem ab eo multis locis calvinianos defensos, vel excusatos, eos sive in edictis, sive in contionibus ab injuria et pravis furoribus prohibitos. Sed illis, quod erant exagitati, auxilium praestitit, non quod calviniani[2]. Christi praeceptis informatus, miseris

1. « Pour le regard du chancelier, qui étoit L'Hospital, il étoit hérétique, calvinien et huguenot, combien qu'il demeurast avec le Roy. » (Claude Haton, *Mémoires.*)

« J'ai ouy de ce temps faire comparaison de luy et de Thomas Morus, chancelier d'Angleterre, le plus grand aussi qui fust jamais en ces pays, fors que l'un estoit fort catholique et l'autre le tenoit-on huguenot, encore qu'il allast à la messe : mais on disoit à la court : « Dieu nous « gard de la messe de M. de l'Hospital! » (Brantôme, Discours sur le connestable Anne de Montmorency. Digression sur le chancelier de l'Hospital, édit. Foucault, t. II, p. 381.)

Quin immo, asseverarunt quidam auctores cancellarium in Ambaciae conjuratione versatum : « Le chancelier Olivier mort de ce temps en la façon dont nous avons dit, L'Hospital, homme de grand'estime, lui succéda, quoiqu'il eust esté des conjurés pour le faict d'Amboise. Ce que je maintiens contre tout ce qui a esté escrit, pource que l'original de l'entreprise fut consigné entre les mains de mon Père où estoit son seing tout du long entre celui d'Andelot, et d'un Spifame : chose que j'ai fait voir à plusieurs personnes de marque. » (D'Aubigné, *Histoire universelle*, t. I, liv. II, chap. XVIII, p. m. 129.)

Ne tamen obliviscamur Theodorum Bezam cancellarii effigiem edidisse cum face post illius terga posita, ita significantem, postquam veritatis lucem cognovisset Hospitalis, se ipsum ab ea avertisse. (Th. Beza, *Icones, id est verae imagines virorum doctrina simul et pietate illustrium : accedunt emblemata,* Genevae, 1580, petit in-4.)

2. Vide quonam modo nefandas Merindolii caedes notaverit (Ad Franc. Olivarium, lib. II, p. 89).

semper succurrebat, quorum relligionem nullo modo respiciebat : itaque et concordiam et mansuetudinem et mutuam benevolentiam commendans, indignatur quod fratres, egregiam Christi disciplinam obliti, manum insane conserant. Quantum antiqua illa tempora desiderat, quibus omnes homines nondum contrariis studiis dissidentes et scelestis factionibus dediti, uno eodemque ritu Deum colebant :

Divina colebant simplice cultu
Numina : ritus erat simplex, atque omnibus unus.
(Ad Car. Card. Loth., lib. V, p. 290.)

Ergo si quis carmina latina pervolvet, facilius deprehendet cur Hospitalis tam vehementer calvinianis indulserit : non enim alias clarius christiani fidem professus est, non alias vivendi hanc rationem, quam sancti libri docent, planius exposuit. Illius sententia, nulla est veterum doctrina, neque Platonis, neque Zenonis, quam christianae relligioni conferre liceat :

O ingens verae pietatis et aurea merces!
O caelestis amor, mundi securus honorum!
Non haec Socratici de fontibus hausta Platonis,
Non Zenonis erant : Christo meliore magistro
Edoctus, poteras quidvis perferre malorum.
(Ad Fr. Olivarium, lib. III, p. 147.)

Sed mihi nulla sacris componi scripta videntur
Posse libris, non est ubi mens humana quiescat
Suavius, et portum inveniat secura malorum[1].
(Ad Fr. Turnonium, lib. I, p. 12.)

Inde fit ut domesticas dissensiones peculiariter flagitiosas duxerit, quas non solum cives, sed etiam Christi discipuli inter se committant[2], inde fit ut sacerdotes

1. Quas animi tenebras, tanquam sol lucidus olim
Discutit alma fides, vel (si quis dicere malit)
Mens accensa fide. Quis enim caelestia possit
Solers humanis adipisci sensibus, ut non
Cursitet huc illuc variis erroribus actus.
(Ad Achillem Bocchium, lib. I, p. 47.)

Ostendit nulla esse supplicia, nullas vexationes quae christianus tolerare non valeat :

Ut sint nimirum levia haec, nihiiique putentur,
Perficit alma Fides; quae cum semel haeserit intus
Et penitus nostris fuerit concepta medullis,
Continuo totam rapit ad coelestia mentem,
Praecipuoque Dei summi devincit amore :
Et facit ut credat quae vix credenda videntur.
(*Id.*, p. 48.)

Christiana fide fretus, adolescentem Franciscum II adhortationibus fovet :

Aut quid discipulos Christi nos esse fatemur,
Si nulla in nobis expressa illius imago est?
(De sacra Francisci, etc., p. 255.)

2. Sive quod hic pacem nostrae fundator amavit
Relligionis, abesse procul nos jussit ab armis :
Vim sufferre, patique suos et verbera, et ipsam
Mortem morte sua docuit : nec cogere quemquam,
Nec terrere nimis voluit, nec caedere ferro :
Sed potius mollire animos et pectora dictis.
(Ad Card. Loth., lib. V, p. 286.)

Vide quoque De miseriis civilis belli incepti (*Miscellanea*, p. 414), ed. 1732; Ad Sodales, p. 452, 453, 472 (1732); De obitu Jac. Fabri, p. 381 (1732), ad Annam Aestensem, lib. VII, p. 361 (1585).

quoque increpuerit illius doctrinam adulterantes [1]. Dolet enim specie, non re relligionem coli, Christi nomen templorum muris inscribi, non instituta autem servari [2], invehitur in epicureos qui putant animum pariter cum corpore interire et resolvi [3], qui

ipsum patriis detrudere regnis
Si possunt Dominum conentur more Gigantum.
(Ad Car. Loth. card., lib. III, p. 193.)

1. Quid vero, quid tu hos pullo qui vestis amictu,
Aut alio quovis (nec enim color omnibus unus)
Cum tristi facie intendunt lacrymantia coelo
Lumina; seque viam clamant monstrare salutis,
In mediisque cient verborum fulmina templis :
Quidnam agitare putas animo, quo tendere cursum,
Et quid propositi, quam spem mercedis habere?
Divitias aurumque petunt, et publica fisco
Aera dari, et magnis cum fructibus aurea templa.
(Sermo, lib. V, p. 302.)

Nimio etiam studio concitatus Hospitalis sacerdotes reprehendit quod cibum pauperibus denegent (lib. I, p. 24).

Alias eos objurgat quod cives ad bellum concitent :

Mutata in veste sacerdos
Saevus ad arma vocat populum, mox nomina profert
Designatorum ad caedem praescripta libello.
(Ad Barth. Faium, lib. VI, p. 372.)

Haud aliter animadvertit papam ipsum, qui ad exemplum assumi debeat, magis in propriam quam in omnium utilitatem animo intento, pugnas inter populos (incredibile dictu) ciere, nedum componat :

Da mihi Pontificem, qui non aequare nepotes
Regibus, et Latio non sit meditatus in ipso
Nomen et arma, suaeque insignia ponere gentis,
Europaeque omnes populos armare, ferasque
Saltibus Italiae mediis committere gentes.
(Ad Bellaium, lib. I, p. 37.)

2. Vide lib. V, p. 300, Sermo.

3. Vide Ad Car. Loth. Card. (lib. III, p. 193).

Nec satis fuit Hospitali homines incessere qui, relligione praetenta, certamina et discordiam lacessunt : noluit ab iis ullam rerum publicarum partem attingi. Haud immerito credidit relligionis imperium non legibus, neque decretis hominum conscientiae imponendum. Quod manifeste apparet ex illa oratione quam concilio Sancti Germani in Ledia habuit. Tunc praeclaram animi constantiam prae se ferens, professus est concilium non de relligione, sed de republica constituenda vocatum esse, ceterum nonnullos esse qui cives appellari possent, neque catholicam, neque calvinianam fidem sectati [1]. Quae quidem ea aetate professa qua, Dei nomine, nefaria facinora committebantur, nonne digna sunt quae nos hodie admiremur?

Ad summam, nemo fuit inter ejus aetatis homines qui tam diligenter christianae disciplinae obtemperaverit, qui humanitatem et clementiam regibus et primoribus tam obstinate praescripserit [2], nemo qui magis incubuerit

1. « Le roy ne veult point que vous entriez en dispute quelle opinion est la meilleure; car il n'est pas icy question *de constituenda religione, sed de constituenda republica*; et plusieurs peuvent estre *cives, qui non erunt christiani* : mesme l'excommunié ne laisse pas d'estre citoyen » (Ed. Dufey, p. 452).

2. « La douceur profitera plus que la rigueur. Ostons ces mots diaboliques, noms de parts, factions et seditions, luthériens, huguenots, papistes : ne changeons le nom de chrétien » (Oratio in concilio Aurelianensi habita, 13 décembre 1560). Éd. Dufey, p. 402. — Vide quoque p. 395 et 400.

Tale erat prooemium Ambaciae edicti, cujus conditiones Hospitalis conscripserat (19 mars 1563) : « Voyant néantmoins que tout le mal et

ut mediis in dissensionibus, quibus Gallia flagraret, concordiam inter cives restitueret, et saepius dictitaverit nullo modo hominum conscientiae imperandum esse[1]. Et tamen res Hospitali parum successit : non solum ad irritum conatus ceciderunt, sed etiam ab utraque factione suspectus permansit, quod ad neutram inclinaverat[2].

Itaque, postquam expertus est frustra se ad pacem cohortatum esse pugnantes, ad Vinianam villam recessit, ubi et ruris, et Musarum, et veterum auctorum lectionis dulcedine captus, ultima vitae tempora feliciter transegit. Locorum amoenitate fruebatur, longe ab urbis

inconvenient qui sort de cette guerre tourne à la diminution et dommage de nostre royaume... avons estimé que le meilleur et le plus utile (remède) quy pouvions appliquer étoit (comme prince très chrétien dont nous portons le nom) avoir recours à l'infinie grâce et bonté de Notre Seigneur, et avec son bon aide trouver moyen de pacifier, par notre douceur, l'aigreur de cette maladie, en rappelant et réconciliant les volontés de nos dits sujets et à une union et à la reconnaissance qu'ils doivent tous à votre obéissance, à l'honneur de Dieu, bien, salut et conservation de celui de votre royaume. »

1. « La conscience est de telle nature qu'elle ne peult estre forcée, mais doibt estre enseignée, et n'estre point domptée, ny violée, mais persuadée par vrayes et suffisantes raisons » (Oratio in colloquio Pinciaci habita), ed. Duféy, p. 471.

2. « Les Calvinistes se formalisèrent (post edictum Romorantini) qu'on leur eût donné leurs Parties et leurs ennemis irréconciliables pour Juges, et les Catholiques soupçonnèrent dès lors le Chancelier d'estre de la nouvelle Religion.... Ils lui reprochèrent de n'aller plus à la messe que par manière d'acquit; et tournèrent en Proverbe la messe du chancelier, pour exprimer celle où l'on n'alloit que pour obéir au roy. » (Varillas, *Hist. de l'Hérésie*, liv. XXII, p. 170.)

« C'est le destin ordinaire de ceux qui cherchent un tempérament contre les prétentions des deux partis opposés : ils ne contentent ni l'un ni l'autre. » (Bayle, *Dict.*, art. L'Hospital, note.)

tumultu hominumque flagitiis remotus; tunc mane in luco villae proximo ambulare juvabat :

Huc prima fero luce pedes, hic carmina condo,
Aut aliquid Flacci relego, doctive Maronis,
Nugarumve aliquid commentor, et ambulo solus,
Instructis epulis coenatum dum vocet uxor [1].
(Lib. II, Ad Hospites, p. 125.)

Multa sunt rure quae animum occupant et delectant, ab isto homine modo spreta, quem nihil nisi somnus et vinum juvant :

Exilium nulli domus est sua, praeter inertem
Si quis agat vitam somno vinoque sepultam :
Aut qui nullius studii capiatur amore,
Vespere solem optans orientem, mane cadentem.
At serere, et legere, et laetas intra horrea messes
Condere, vina cadis haurire domestica plenis,
Ordine maturos positis decerpere fructus
Arboribus, pingues subducere matribus agnos,
. . . .

1. Jam antea, cum nondum a civilibus muneribus exclusus, in soceri villa aliquid temporis consumeret, lepidis versibus voluptatem reddidit, qua urbanus, molesta negotiorum cura exemptus, rure afficitur :

Lassi omnes operum, pertaesique ipsius urbis
Funduntur portis insano ruris amore....
Ut vero ad villam ventum est, aliis alius se
Oblectat studiis, sua cordi est cuique voluptas;
Illi cura penus, cellis aut condere vina,
Aut fulcire gravi titubantia pondere messis
Horrea, vel queruli rationem audire coloni :
Hunc arbusta juvat directis ponere late
Ordinibus, viridemque domo circumdare silvam....
Terga premunt alii jaculis canibusque ferarum,
Aut visco fallunt volucres, aut retia tendunt.
(Ad Franc. Turnonium, lib. I, p. 10-11.)

Piscari, librumve manu servare tenentem
Retia, et ad captam cursu contendere praedam :
Mille voluptates aliae, quas rustica vita
Dulcis habet, longe urbanas superare videntur
Atque palatinas omnes[1].
(Ad Vidum Fabrum, lib. VI, p. 323.)

Inter illas voluptates una est quam pergratam judicat Hospitalis : librorum lectio, cui secessus et altissimum agri silentium mire congruere solent. Futiles et nugatorios dedignatus, eos pervolvit, quibus res graves seriaeque tractantur, et imprimis docti Platonis opera[2] : nempe ad egregia studia hortando, mentem bonis artibus informat solitudo.

Ingenii igitur magis quam corporis voluptates rure exquirit. Villa enim et praedia quibus circumdabatur exigua mediocrem domini fortunam advenarum oculis patefaciebant. Ibi neque locupletes thalami, neque aurata

1. Nonne sequentia Maronis et Flacci, ruris quoque amatorum, versus tibi in memoriam reducunt :

Nunc urbe relicta
Ereptus medicis, elapsus pharmacopolis,
Frigida mane recens, et frigida vespere carpo
Rura, novum solem atque orientia sidera servo.
(Ad Salm. Macrinum, lib. IV, p. 235.)

Tu regi comes is, et magno Regis amico :
Me vero secessus habet nunc ruris amoeni
Litibus elapsum mediis, urbisque tumultu ;
Me reficit tellus ornata virentibus herbis,
Villa solo modico surgens operisque vetusti,
Contiguum villae nemus est ac frondea silva,
Quae lepores mensis, domino quae sufficit umbram.
(Ad Lancelotum Carlum, lib. II, p. 130.)

2. Vide ad Vidum Fabrum, lib. V, p. 313.

tigna laquearibus supposita, neque marmoreae aut eburneae statuae longis ordinibus dispositae, sed undique egregia morum antiquorum simplicitas, quae longe ab immodico aequalium luxu distabat. Nec mirum parcas in tali domo cenas fuisse : mensae apparatum spernebat Hospitalis et lepidis carminibus commemoravit quanta sit rustici victus jucunditas :

Angusti et tenues, domini non divitis, agri
Sufficere hospitibus poterunt vulgaria parcis :
Lactentes vitulos, agnum, porcumve bimestrem,
Poma, nuces, manibusque uxoris consita nostrae
Vina, fabas, et pisa, napos : at caetera nobis
Suppeditat nitidus vicinae vallis arator,
Saxosaeque forum mercatu nobile Messae.
Est domus ampla satis dominum quae possit, et illi
Tres capere adjunctos comites, vel quattuor una,
Nec fundus villam, nec fundum villa requirit.
(Ad Hospites, lib. II, p. 125.)

Attamen interdum quemdam esse epularum sumptum permittit : tunc ex urbe salinum argento factum affertur :

Cultus erit mensae non rusticus, urbe salinum
Argento factum veniens huc extulit uxor,
Et secum referet, sunt et mantilia filo
Pertenui, mundis sunt lintea stragula lectis [1].
(*Id.*, *id.*)

1. Rus ipsum villae proximum haud amoenum erat : sitiens et aridum, silvarum et fontium egenum, nihil habebat quod spectantem delectare

Nemo unquam existimaret tales versus ab homine scriptos, qui multos per annos in aula vixerat omni deliciarum copia affluenti, in qua eo processerant lautitiae ut rex ipse assentatorum magnificentiam vix aequare posset. Scio equidem cancellarium Maronis et Flacci discipulum, horum carmina aliquando meminisse, quibus ruris amoenitatem celebraverunt, et quasi invitum quadam parte eos imitari : attamen haud infitiandum manifestam iisdem versibus inesse ingenuitatem et Hospitalem sincere villam suam laudibus extulisse.

posset. Quod, ut verum loquar, Hospitali non displicebat : animadvertebat enim Curios et Fabricios non lautius vitam egisse :

Quid enim post tonsa novalia late
Belsia, nudus ager, sine silva, fontibus, herbis,
Ferre potest oculis gratum et spectabile nostris?
Invitus fateor tot nostri incommoda fundi.
Quid faciam? Spartam legi, mihi Sparta colenda est.
Haud multo melior Curiorum et Fabriciorum
Villa fuit...

(Ad Barth. Faium, lib. VI, p. 355.)

Morum simplicitatem, qua ipse delectabatur, aequalibus praescribere voluit. Vestium et epularum luxuriei modum imponere tentavit : quin immo de viatorum in cauponis sumptibus et ciborum genere quos illis edere licuisset, sanxit. Interdixit etiam ne Lutetiae in viis cupediae venderentur. « Ne pourront les dits-maistres (pâtissiers), tant de ceste ville de Paris que fauxbourgs d'icelle, envoyer les dicts apprentis crier, vendre et débiter par la dicte ville et fauxbourgs, petits pastez, petits choux, eschaudez, rissolles, tartelettes et autre menue marchandise du dict mestier, attendu les inconvéniens, fortunes et maladies qui en peuvent advenir, et aussi que c'est la perdition des dits apprentis qui ne peuvent apprendre leur mestier, et au lieu de ce apprennent toute pauvreté et ne peuvent, à la fin de leur temps, estre ouvriers de leur dit estat, qui est une grande charge de conscience aux dits maistres, et ce sur la peine que dessus (4 livres parisis d'amende). »

(A. H. Taillandier, *Nouvelles recherches sur la vie et les ouvrages du chancelier M. de l'Hospital*, in-8, 1861, p. 187, 189.)

Quod si res nunc colligendae sunt, hoc nobis dicendum erit : e carminibus latinis non minus de studiis quam de moribus auctoris indicia decerpenda. Nonne enim illa legentes, postquam etiam historiarum scriptores percensuimus, melius intelligimus quantum amicos dilexerit, quam sapienter eos admonuerit, quantum publicae utilitati consuluerit, assentatorum blanditias insectatus, quibus reges perderentur, praesertim quam diligenter relligionem coluerit, neque calvinianae, neque catholicae fidei addictus, sed christianae, cujus praeceptis obtemperans, injuriam, ubicumque saeviebat, lacessivit. Nec satis : ut Hospitalis studia docemur, dum in republica, vir civilis, versabatur, ita eadem perspicimus, cum, immeritam passus offensam, longe a vulgo aevum consumebat, in adversis quam in prosperis rebus etiam constantior.

CAPUT TERTIUM

DE GENERE DICENDI ET SCRIBENDI ARTE APUD HOSPITALIS CARMINA LATINA

Ut supra dictum est, admodum adolescens Hospitalis, veterum opera, summa admiratione prosecutus, versaverat : nec unquam, progrediente aetate relictaque celsissima dignitatis sede, ea repudiavit [1]. Inde non mirum si non solum illius sententiae, sed dicendi genus seu

1. . . . .
Seu libros teneo Xenophontis, seu Plato dius
Nostras Socraticis sermonibus imbuit aures.
Saepe juvat doctos manibus versare Poetas,
Qualis Virgilius noster Maro, qualis Homerus;
Sed mage delector tragicis ubi comica junxi,
Tristia ridiculis miscens, ludicra severis...
(Ad Franc. Turnonium, lib. I, p. 12.)

Non mirandum erit Hospitalem e veterum scriptis vivendi recte magis quam bene dicendi praecepta hausisse :

Nam quid tanta juvat libris haurire latinis
Vivendi recte praecepta, quid attinet omnes
Vestigari locos, si non accesserit usus?
(Ad Marg. Valesiam, lib. I, p. 65, ed. 1732.)

Alicubi etiam desiderat se tot annis veterum operibus incubuisse, cum tempus in sacrorum scriptorum legendis melius insumpsisset :

figuris et verbis, sive etiam verborum junctura nescio quid antiqui legentibus redolet. Ceterum num melius significasset quanto aliis sermo latinus praestaret, quam in carminibus suis adhibendo? Quem non solus adhibuit eo tempore, quo priscorum libri multis in manibus erant, quo feminae ipsae latina lingua familiariter utebantur. Neque enim ignoramus (idque Hospitalis testimonio) Margaritam Gallicam [1] in Maronis et Flacci et M. Tullii quasi consuetudinem, Pontronio magistro, penitus intravisse. Ad hoc plerique eorum quibus epistolas misit cancellarius et Margarita, et Anna Aestensis, et Morelli filiae, et Lancelotus Carlus, et Salmonius Macrinus et Lotharingus cardinalis, et Turnonius, Bellaiusque latine scripserunt.

Inter veteres quorum memoriam referunt Hospitalis

attamen rem non in serium vertendam opinor, cum multis locis Hospitalis aliter loquatur :

Quam me tot frustra meliores poenitet annos
Verbis impendisse magis, quam rebus : et instar
Picarum veteres imitari voce Latinos
Conatum, aut Graecae modulos et carmina linguae.
Res abiere : ego balbus et infans turpiter haesi in
Grammaticis, pueri quae matris ab ubere quondam
Suggere, vel dictata rudi nutricis ab ore
Excipere a teneris primaque aetate solebant.
Tum graece laus nulla fuit, vel scire latine.

(Ad Jac. Corbinellum, lib. VI, p. 328.)

Illis versibus hos libenter adjungam, quibus significat nulla antiquorum scripta christianorum sacris operibus conferri posse :

Sed mihi nulla sacris componi scripta videntur
Posse libris, non est ubi mens humana quiescat
Suavius, et portum inveniat secura malorum.

(Ad Franc. Turnonium, lib. I, p. 12.)

1. Marguerite de France, duchesse de Berry, Francisci primi filia.

carmina, Flaccus primus menti occurrit. Jam sexto decimo saeculo, Venusino poetae cancellarius ab amicis aequiparabatur [1]. Nos autem Flaccum et Hospitalem non eodem loco ponemus. Neminem enim fugiat hoc lepore et exquisita urbanitate et eximio veritatis colore Hospitalem caruisse, quibus omnium consensu ille praestitit. Ad ejusdem exemplum sane Hospitalis undique epistolas sapientiae praeceptis sparsit, quibus narratiunculas miscuit (idemque faciebat Horatius), ut fastidium prohiberet : neque ideo eadem ingenii calliditate usus est, ut ludo seria temperaret. Quod ad dicendi genus attinet,

1. « In his autem Hospitalius Horatium praecipue imitatus est. Ita tamen, ut verborum nitore et sententiarum gravitate illum aequarit, carminis certe lenitate superarit » (Scaevola Sanmarthanus, *Gallorum doctrina illustrium elogia* (1598). Sanmarthano non plane assentimur : fit enim ut rudes et asperi sint et ab omni lenitate abhorrentes versus Hospitalis.

Ita scribebat Olivarius ad Hospitalem : « Candor, polities, lepos, minimum sunt in illis (versibus). At vero seria eruditio, sententiae crebrae ac graves, mira ubique sanitas sensuum, et per totum poema (velut sanguis per universum corpus) diffusa laeta quaedam gratia ac jucunditas, me non minus capiunt, non secus afficiunt quam *Venusini tui* doctissimae epistolae : cui, haud scio, an sis olim apud posteros cessurus. » (Vide *Carm. lat.*, lib. III, p. 142.)

Cum Hospitalis Margaritae Valesiae cancellarius constitutus est, Bellaius hos versus illi misit, quibus libentius Platoni quam Flacco eum conferebat :

Au Seigneur de l'Hospital.

Lorsque je ly et rely mile fois
Tes vers tracez sur la Romaine grace,
Je crois ouïr non la voix d'un Horace,
Mais d'un Platon les tant nombreuses loix.
(Du Bellay op., t. II, p. 135, edit. Marty-Laveaux.)

Arbitrabatur Scaligerus Hospitalem minorem esse poetam neque dignum qui Horatio compararetur.

Flacci quoque vestigiis ingredi nititur, sed, nescio quomodo, Latini poetae verba quasi deterit, eorumque vim infringit : alibi sententias longius amplificat, pressae brevitatis ignarus.

Nunc Ovidii etiam, vel Martialis, vel Claudiani carmina, nunc quaedam Platonis aut Aristotelis apud Graecos, Plinii Junioris aut Annaei apud Latinos imitatur [1]. Nec longiore intervallo M. Tullium sequitur (non

1. Ut faciam breviter, quosdam versus ponam quibus imitatio praecipue animadvertitur :

FLACCUS. — Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas
Regumque turres.
(Carm. I, 4.)

HOSPITALIS. — Ergo omnes sine delectu, puerique senesque,
Intereunt moriturque immensa potentia regum.
(Ad Od. Cast., lib. I, p. 39.)

OVIDIUS. — Victa jacet pietas et virgo caede madentes
Ultima caelestum terras Astraea reliquit.
(*Met.*, lib. I.)

HOSPITALIS. — Ac primos homines tales in amore fuisse
Credibile est, intacta priusquam virgo (*Astraea*) relictis
Justitia excessit terris caelumque petivit.
(Ad Vid. Fabr., lib. V, p. 314.)

In versibus sequentibus Ovidii notissimi loci imitationem deprehendere licet :

Illa infida cohors mentito nomine amici,
Deseruere fuga miserum, seroque videntem
Quid vero et quantum simulatus distet amicus.
(Ad Card. Castill., lib. III, p. 160.)

Atque illi, nonne tibi in memoriam revocant Plinii quamdam epistolam qua docet optimos fieri homines, dum languoris causa corporis infirmitate laborant (Pl. Jun., *Epist.* VII, 26).

Ipsa nec in terris quicquam natura creavit,
Ex quo non aliquem possis decerpere fructum.
. . . .
Nam quaecunque Deus mittit mortalibus aegris

tamen proximus) amicitiae dulcedinem praedicans[1]. Quin immo, ita antiquitati studet, ita antiquitatis litterarum peritus est, ut illarum memoriam nobis assidue revocet. Cum affirmat se patris noxarum innocentem, multa exempla, ut se ipsum purget, a veteribus historiarum scriptoribus sumit : nonne enim Romanos et Carthaginienses, Athenienses et Persarum regem, Cyrum et Croesum vicissim refert [2]? Dum iter facit ad Nicaeam, nulla est urbs (Lugdunum, Vienna et Arausio in primis), nullus fere vicus, qui illi vetera tempora ante oculos non reponat [3]. Quamvis christianae fidei sectator, Jovem

Seu bona seu mala sunt, sapiens ita collocat apte
Ut quadrare putes. Corrumpunt et bona stulti,
Et mala quae fuerunt faciunt pejora fruendo.
. . . . Maxima, crede,
Pars hominum, tristi nisi morbo vindice, nunquam
Se revocet : caelique vias post terga relicti
Rursus eat.

(Ad Card. Loth., lib. I, p. 53.)

1. Haud aliter loqueretur M. Tullius in libello qui *De Amicitia* inscribitur.

At constans et perpetuo mansura videtur
Gratia, quam primum virtutis opinio junxit,
Quae mox officiis vires accepit honestis.

(Ad Vid. Fabr., lib. V, p. 314.)

Est in amicitiis solers adhibenda legendis
Cautio, sive humilem, seu magnum quaeris amicum.
Nam partem peccatur in hanc, peccatur in illam.
Saepius in magnis opibus, celsaque vacillat
Fortuna malefidus amor; dum splendida plebem
Nobilitas, inopem dum spernit dives amicum

(*Id.*, *id.*, p. 316.)

2. Ad Petr. Cast., lib. I.
3. Ad Jac. Fabr., lib. V, p. 279, 280.

obtestatur [1] et Olympum vocat mortuorum sedem [2], iis mentem adhibet sortibus quas oraculo Phoebum cecinisse fingit [3]. Quod si aequales suos splendide laudat, eos sive uni, sive alteri deorum aut virorum antiquitatis comparat : Guisinum ducem Baccho, Theseo et Hectori [4], Franciscum primum Apollini. Quod ad Montaureum pertinet, eum velocibus Achillis pedibus carere desiderat.

Strictim etiam Hospitalis carmina attingenti in mentem incidit tamen eum non omnino posse antiquitatis auctoribus in aequo poni nobisque mirum videtur nonnullos, ut Boxhornium et Barthium, satiram quae *De Lite* inscribitur a vetere poeta scriptam putavisse [5]. Unde

1. Tuque favens esto nobis bone Juppiter, et quae
Adversata diu sunt terris sidera, tandem
Aspiciant radiis camporum plana benignis...
(Ad Franc. Turn., lib. I, p. 16.)

Eodem modo sibi alios deos vocat :

Parcite, coelicolae, coelum quibus ante pepercit,
Parcite relliquiis hominum qui e caede supersunt...
(*Id.*, *id.*)

2. Nunc conviva deum, pulchri nunc civis Olympi
Omnes infra se positas despectat humi res.
(De morte dominae Brissacae, lib. IV, p. 237.)

3. In Francisci Delphini et Scotorum reginae nuptias (lib. IV, p. 240).

4. Qualis erat nigris rediit cum victor ab Indis
Liber agens longum quacumque incederet agmen :
Qualis et occiso lethali vulnere monstro
Theseus est quondam patrias invectus Athenas :
Qualis mentiti spoliis oneratus Achilli
Priamides Phrygiam se rettulit Hector in urbem...
(*De Meti urbe*, etc., lib. II, p. 108.)

5. Ita loquitur Barthius de illo poemate : « Prisci aut semiprisci cujusdam juridici dicam an philosophi » : quod autem diligenter annotando, observat Claudianum, Ovidium, Plautum, Flaccum, Maronem

enim fit ut illi non animadverterint quemdam hujus temporis bibliopolam a cancellario nominatim relatum?

Angulus ille vides qui sese projecit extra
Moenia lata fori, Galeoti pone tabernam [1]...

Praeterea et in hoc poemate, et alias, quaedam est orationis et sententiarum conformatio, non meram antiquitatem profecto redolens.

Ceterum fuerunt eodem saeculo qui carmina Hospitali, haud immerito quidem, assignaverint, quanquam fere semper auctor celabatur. Ita enim scribit Andreas Helius, qui Barth. Faii filium adolescentem rexerat :

Ad Michaelem Hospitalem.

Sint emissa licet suppresso nomine patris,
 Continuo agnovit pignora quisque sua.
Incessu gravitas, procero in corpore candor,
 Cumque sale ardua mens, ingeniumque pium.
Dotibus est amplus clarusque Philoxenus [2] istis :
 Talis musa recens edita clam : ergo tua est [3].

ab auctore imitatos (*Adversariorum commentariorum* libri 60, Francofurti, 1648, in-f°, p. 344, 378, 439). — Vide quoque : Boxhornius, *Poetae satyrici minores cum commentariis* (Lugd. Bat., 1632, in-8°). — Henricus Stephanus denique : « Inter poematia autem satyra est elegantissima quae inscribitur *Lis*, non prius edita, incerti auctoris » (*Epistolia*, etc., 1577, in-8°).

1. Ad Jac. Fabrum, Litium execratio, lib. II, p. 82.
2. Ita Hospitalis nomen argute exprimit.
3. *Deliciae poet. Gallorum*, t. I, p. 66 (Coll. Ghero).

Cum Morellus ad Olivarium misisset epistolam, qua cancellarius se ipsum adversus inimicos defendebat, ita responderat Olivarius : « Hospitalii epistolam legi. De qua nil aliud dicam, quam, quod, vel sine titulo, auctorem suum referat : et bis mille aliis intermixta, non me fallere queat. Perlectam seposui, per otium subinde relecturus, cum musis, simul ac philosophiae indulgere juvabit [1]. »

Nos autem, ad exemplum Helii et Olivarii, nequaquam Hospitalis versus pro antiquis duci posse arbitramur : nec tamen est quod eum et amatorem et discipulum veterum fuisse non profiteamur. Quin immo, Hospitalem illorum numero adscribemus qui, perlectis ante ipsum Ronsardum Graecorum Romanorumque operibus, serias et magnas res tractaverunt [2]. Ea enim aetate, qua scripsit noster, fere omnes poetae lepidis, sed nugatoriis Maroti carminibus delectabantur, paucioresque contendebant ut elatis verbis elatas sententias exprimerent ; major autem pars in submissis aut frigidis rebus versantes, Maroti vitia in majus ferebant.

Hospitalis enim Ronsardum laudibus celebravit notissima in epistola Card. Lotharingo inscripta, et ab initio

1. J. Bellaii opera (ed. Marty-Laveaux, t. II, p. 576).

2. Inter eos praecipue commemorandi sunt illi poetae Lugdunenses. Mauricius Scaeva (*Délie objet de plus haute vertu*, Lyon, 1544) et Desperiarius (*Cymbalum mundi*, 1538), qui P. Ronsardo quasi viam fecerunt. (Vide Lanson, *Hist. de la litt. fr.*, p. 271.)

statim hac effusa admiratione poetam extollit, quam apud omnes ejus aevi homines Ronsardi carmina moverunt :

Aspice, quam se tollit humo, quamque arduus altum
Fert coelo caput, et clara inter sidera condit :
Quos, ubi saeva canit magnorum proelia Regum,
Dat sonitus, quae verba ruit, vel fulminis instar,
Vel torrentis aquae : quantas e divite vena
Fundit opes : quam mox fertur sedatus et ore
Composito memorat jucundae tempora pacis :
Et quibus auxiliis, quo sit respublica more
Gesta domi : laudemque togae fulgentibus armis
Comparat, et pulchris linguae mel suave triumphis.

(Ad Card. Loth., lib. II, p. 123.)

Atque ita finem dicendi facit :

..... Quis enim Ronsardo digna reponat?

(*Id.*, p. 124.)

Cardinalis mores et facta versibus ita expresserat Ronsardus, ut nemo inter veteres (ea saltem Hospitalis opinio est) melius hoc eximium munus explevisset :

Sic velut in tabula non (Carole) pictus Apellis
Parrhasiive manu es, sed nobilis arte poetae,
Et calamo vatum nulli cedente priorum.

(*Id.*, p. 123.)

Insuper satiram edidit cancellarius, Ronsardi nomine, qua Maroti discipulos et praecipue Sangelasium acriter lacessebat[1]. Itaque haud mirum Ronsardum postea quo-

1. Elegia nomine P. Ronsardi, adversus ejus obtrectatores et invidos (*Miscellanea*, p. 457, ed. 1732).

« Le docte L'Hospital, qui était alors chancelier de Madame Margue-

dam ex carminibus suis omnium longissimo, Hospitalis dignitatem in lucem protulisse[1]. Ne quid mentiar, pauca de cancellario loquitur, illumque, ineunte et finiente poemate, solum nominat[2] : quod quidem facile intelligi

rite, sœur de Henri II, prit en main la cause des novateurs, et alla même jusqu'à composer sous le nom de Ronsard une satire latine.... dans laquelle il s'attaque évidemment à Saint-Gelais sans le nommer.... Après avoir excité les nouveaux poètes à secouer cette tyrannie insolente de quelques vieillards jaloux, Ronsard, par la bouche de L'Hospital, se justifie victorieusement des innovations auxquelles l'oblige l'indigence de la langue maternelle.... » (Sainte-Beuve, *Tableau de la poésie française au XVI^e siècle*, Paris, 1843, in-12, p. 296.)

1. Vide : *Les Odes de P. de Ronsard*, t. II, p. 63, Paris, Barth. Macé, MDCIX.
2. *Id.*, p. 92.

Errant par les champs de la Grace
Qui peint mes vers de ses couleurs
Sus les bords Dirceans j'amasse
L'eslite des plus belles fleurs,
Afin qu'en pillant, je façonne
D'une laborieuse main
La rondeur de ceste couronne
Trois fois torse d'un ply Thebain,
Pour orner le haut de la gloire
De l'Hospital mignon des Dieux,
Qui çà bas ramena des Cieux
Les filles qu'enfanta Mémoire.
. . . .

(*Id.*, p. 92.)

Faisant parler sa grandeur
Aux sept langues de ma lyre,
De luy je ne veux rien dire
Dont je puisse estre menteur :
Mais véritable il me plaist
De chanter bien haut, qu'il est
L'ornement de nostre France,
Et qu'en fidèle équité,
En justice et vérité
Les vieux siècles il devance.

(*Id.*, p. 156.)

C'est luy dont les graces infuses
Ont ramené par l'Univers
Le chœur des Piérides Muses,
Faites illustres par ses vers;
. . . .

(*Id.*, p. 157)

potest ex ipsis Richeleti verbis, qui breviter opus in commentario suo complexus est [1].

Quanquam mutuo inter se laudatoria commutaverunt duo scriptores, hoc tamen penitus differunt, quod Ron-

Quod autem ita commentatur Richeletus : « *Faites illustres par ses vers.* — Illustres à la vérité : car les six livres de ses Epistres que nous avons sont excellens, et ont outre la douceur et l'élégante simplicité de vers, une plénitude d'érudition, et de philosophie morale, tesmoins de la docte et saincte preud'hommie de leur autheur. »

C'est luy qui honore et qui prise
Ceux qui font l'amour aux neuf Sœurs,
Et qui estiment leurs douceurs,
Et qui conduit leur entreprise.

(*Id.*, p. 158.)

C'est luy (chanson) que tu reveres
Comme un esprit venu du Ciel,
C'est celuy qui aux lois severes
A fait gouster l'Attique miel :
C'est luy qui la saincte balance
Cognoist, et qui ne bas ne haut,
Juste, son poids douteux n'eslance,
La tenant droite comme il faut :
C'est luy dont l'œil non variable
Note les meschans et les bons,
Et qui contre le heurt des dons
Oppose son cœur imployable.

(*Id.*, *id.*)

His versibus sequentes libenter addam, quibus iterum Ronsardus Hospitali honorem insigniter tribuit :

Mais si tost qu'il te pleust par un destin fatal
Regarder d'un bon œil ce divin l'Hospital
Nourriçon d'Apollon, qui si doctement touche
La lyre, et qui le miel fait couler de sa bouche....

Ronsard, *L'Hymne de Charles, cardinal de Lorraine*, t. IV, p. 245, ed. Marty-Laveaux.) Vide quoque, *id.*, p. 2:6.

1. « C'est un chef-d'œuvre de poësie que ceste Ode, faicte en l'honneur de la poësie, et d'un grandissime personnage (sequitur poematis summa).... puis après pour venir au subjet special et particulier de son œuvre, il les (Muses) fait retourner au ciel contraintes par l'ignorance jusqu'au jour prefix à l'heureuse naissance du grand Michel de L'Hos-

sardus dicendi genus probe accurans, nihil nisi pensum et expolitum relinquit, ita ut aliquando illi ambitiosa in loquendo jactantia aut affectatac munditiae exprobratae sint, alter contra sermonem e proximo sumptum adhibens, non satis operae ac laboris in vocabulis deligendis jungendisque consumit : in sententiis totus verba paulum dedignatur; legentes vult docere, non delectare, magisque animos informare quam allicere curat[1]. Unde haud immerito Olivarius cancellarius, Hospitali rescribens, ita de eo loqui potuit : « Candor, polities, lepos minimum sunt in illis (versibus). At vero seria eruditio, sententiae crebrae ac graves, mira ubique sanitas sensuum.... Ut interim taceam, quod totam tuam epistolam temperat optima artifex, Philosophia Christiana. » (Carm., lib. III, p. 152.) Etenim christianam poesim aptissimam moribus hominum

pital Chancelier de France, qui les rameine une autre fois et restablit en terre pour jamais, avec admiration de ses vertus, scavoir et preud'hommie, que le Poëte traite et poursuit excellemment jusqu'à la fin de l'œuvre. » (*Id.*, p. 93, 94.)

Lors à terre vola le guide :
Et elles d'ordre le suivant,
Fendoient le grand vague liquide,
Hautes sur les ailes du vent :
Ainsi qu'on voit entre les nuës
De rang un escadron voler,
Soit de Cygnes ou soit de Gruës
Suivant leur guide parmy l'air.
(*Id.*, p. 153.)

1. Nam mores hominum scriptis formare legendis :
Et vitia extirpare animis labor Hercule dignus :
Verum ingratus eis, sua qui recitante poeta
Agnoscent scelera, aut de se dici illa putabunt.
(Lib. V, *Epist.*, De libertate scribendi, p. 305.)

castigandis judicavit, dummodo ornatus fugiat, gravitatis plena maneat et molli sermone non frangatur[1]. Quin etiam, nimio mentis ardore concitatus, modum excedit et vehementer increpat paganorum poetas, quorum merita, a se ipso sane dissentiens, multis in aliis locis praedicat :

Nos vero falsis, mendacibus atque malis Dìs
Versus illorum similes, similesque poetas,
Et fucum, et veneres, et titillantia sensus
Linquamus foeda et lasciva et inania scripta...
(Ad Cl. Espencaeum, lib. I, p. 27.)

Quis ergo miretur a cancellario omnino spreta nugatoria illa carmina, illos « versiculos » quales scribuntur in aula[2], illas denique « litterulas », quas nimium in deliciis aequales habebant. Quem juvat « libertas et stylus audax, vitiumque severa voce notatum alterius[3] ». Ad satiram natura inclinat, dicendique genus illi bene accommodatum, id est vehemens, asperum, vigens nervis et ab omni concinnitate semotum. Modum tamen scriptoribus,

1. Sit sermo incomptus, facilis, non anxius, omnem
Ornatum fugiens, plenus gravitatis; ut intus
Quae concepta animo possit modo reddere sensa
Plane, atque auxilio naturae simplicis uno :
Nec molli, aut fracto moduletur carmina cantu,
Nec septem resonet testudo garrula nervis;
Omnia digna Deo : cujus non cantibus aures,
Non citharave lyrave humano more moventur.
(Ad Cl. Espencaeum, lib. I, p. 27.)

2. Sermo (p. 305).

3. *Id., id.*

cum aliquem incessunt, commendat [1]. Illiberales jocos et inurbanas facetias prohibet, velit poetam, sacerdotis instar congregatae multitudini loquentis, gravissima verba emittere :

Omne velim sit castum et lene poema,
Sit mistum gravitate, vacet risuque jocisque :
Qualis sermo fere est media testudine templi
Ad populum magno quem personat ore sacerdos.
(*Sermo*, p. 306.)

Nec ideo arbitremur Hospitalem elatam aut severam orationem semper adhibere : sermonis speciem et formam mutando, nunc simplici et quasi cotidiano utitur, nunc autem quaedam joculatur. Num avus, ut exemplum allegem, erga parvulum nepotem caritatem melius exprimeret?

Quo certe puero nihil est festivius usquam,
Ni me stultus amor (fallit qui saepe parentes)
Et me fallit avum. Quid cum ridere trimestris
Coeperit? Hae suaves etiam grataeque videntur
Mî lacrymae, et rauco pueri vagitus in ore.
(Ad Janum Morellum, lib. III, p. 154.)

His versibus, cum infans insalubri lacte nutritus aegrotat, quam vivide totius familiae curas refert :

1. ..... Modice laudentur facta virorum
Fortia, culpentur modice, aut, si postulet usus,
Vis adhibenda etiam vocisque animique dolentis.
(Id., id.)

Ergo lecta (*nutrix*) domum deducitur ad nos,
In tribus una fuit quae foecundissima pagis :
Respondisse meis rebar jam numina votis,
Cum puer ardenti correptus febre repente est,
Frustra dessicata duo trahere ubera visus.
Circum omnes pagos iterum, circum omnia rursus
Oppida quaesitum genitrix aviaeque remittunt.
Cum multae ex omni matres regione venirent,
Nulla sitim potuit pueri compescere nostri :
Altera sed primae successit, et altera deinceps
Inque vicem, medicis prohibentibus, ut male sanum
Inque salubre simul diversas sugere matres.

(Id., id.)

Eamdem simplicitatem jucunda urbanitate quasi illustratam in epistola ad Marg. Valesiam deprehendimus :

Nemo tuas unquam verbis fallacibus aures
Delator, nemo simulatus cepit amicus.
Libertas urbana tibi jucundior omni
Obsequio : semper facilis venientibus ad te,
Et comis, non blanda : gravis, non dura fuisti.
. . . .
In medio Regina sedes velut arbitra recte
Dictorum, aut pleni moderatrix una theatri,
Audis sermones, audis mala scripta, poetae
Vel bona quae recitant : et praemia dividis aequa
Omnibus : aut fratrem nunc maxima bella gerentem
Concilias potiora colentibus otia Musis.

(Lib. II, p. 87 et 88.)

Verecundiam difficile esset, mea sententia, justius in blanditiis tenere (si quidem illae blanditiae appellandae

sunt). Alias nobis lepido carmine ante oculos proponit Olivarium cancellarium ruris amoenitate fruentem et in secessu litterarum studio deditum :

Mane sacer primum petitur locus, inde severis
Et gravibus studiis aliquot defungeris horas,
Protinus et viridi laetus spatiaris in horto,
Aut inter pineta, tuis quae consita longe
Excurrunt manibus, vel coniferas cyparissos,
Aut sacram Phoebo laurum, platanosque revisis
Socraticas, Musisque nemus Phoeboque dicatum.
. . . .
. . . .
. . . .
Ut qui praetereant muros et limina villae
Ante tuae, exclament, o te Francisce, beatum,
Solus enim solus scis vivere, caetera tanquam
Caeca per obscuram gens noctis inambulat umbram [1].
(Lib. II, p. 92.)

1. Expeditam quoque et venustam Hospitalis orationem animadvertimus in his versibus, quibus Bellaium hortatur, ab Italia redeuntem, ut iter maturet et Galliae fines transgrediatur :

Interea tu
Adde gradum, pleni dum sicco pulvere campi,
Dum facilisque et plana via est, corrupta nec imbri.
Jamque adeo jam tristis hiems abscondere soles
Incipit, et pluviis obnubilat aera ventis :
Sed provisa tibi lignorum copia magna est,
Quam modo Campanis advexit Matrona silvis.
Tu ne ideo mutata feras vestigia retro,
Namque suas habet hic veneres locus omnibus anni
Temporibus, suaque est hiberno gratia coelo.
(Lib. II, p. 100.)

Nec minore venustate, quanquam aliquid subtile hic apparet, ejusdem Bellaii absentis et domum et hortos dolentes effingit; Matrona ipsa, quae mediis praediis decurrit, indignari adversasque moles dejicere videtur. (Ad Jo. Bellaium, lib. I, p. 42.)

Quod si Hospitalis simpliciter loquitur, aliquando etiam jocatur. Ut compertam rem habeas, epistolam lege, qua iter ad Nicaeam, non sine quadam redundantia, enarrat[1]. Hic enim videbis quomodo scurram Tertullum comitibus suis risus moventem ostendat[2], aut Dalbeni[3] poetae aurigam ebrium depingat : vixdum satis credas talem hominem talia scripsisse. Nobis autem notandum est Hospitalem multis hujus aetatis auctoribus praestantem, cum elata voce corruptos mores castigat aut bonas artes laudibus prosequitur, multis concedere, cum ludere tentat : quod enim frigide et insulse facit.

Plerosque rursus eo antecellit quod, nescio qua orationis flamma effervescens, expressas rerum imagines ante oculos proponit. Paucos esse qui vividius litigatorum curas effinxerint his versibus judicare licet :

> Saepe tibi glebae de caespite nascitur ingens
> Lis cum vicino, cum affinibus, atque propinquis,
> Aut alia de re minima. Quid deinde sequetur?
> Deseris infelix patriam, cum conjuge, dulces
> Deseris infelix natos : adeundus in urbem
> Praetor. Ibi tristis vultus cauponis avari,
> Triste supercilium domini legesque ferendae.

1. Ad Jac. Fabrum, lib. V, p. 266. — Margaritam Valesiam ad conjugem suum Philibertum, Sabaudiae ducem, profectam comitabatur Hospitalis (1559).
2. Id., id., p. 269.
3. Id., id., p. 269. — Dalbenus poeta, Margaritae vetus assectator erat, cui opus « *Civitas veri seu morum* » dicaverat.

Inde tibi circum vicos, atque ostia circum
Cursandum, nomen cujusque domusque notanda.
Cognitor hisce locis habitat, Curator in illis [1]...
(Ad Car. Marilliacum, lib. II, p. 120.)

Eamdem pingendi facultatem deprehendas in hac ad Janum Morvillierum epistola, qua rusticus quidam regis vitae stulte invidus nobis fingitur :

Si quis agro longe veniens modo rusticus aulam
Introeat regis, quam nunquam viderit ante,
Multa ferens oculos partes miretur in omnes,
Nidorem imprimis tepidae strepitumque culinae,
Lucentemque focum : mox primae in limine portae
Custodes hastas manibus ferrumque tenentes.....
. . . .
Omnia quae postquam lustraverit ille, beatum
Ante alios omnes regem putet esse; beatos
Esse putet nullos, nisi qui versentur in aula.
Malit in his regum domibus vilissima fungi
Munia, quam centum campos invertere tauris.
(Lib. IV, p. 220.)

Alias, quam multas rex ipse ferre molestias cogatur

1. Hos versus confer (*Litium execratio*) :

Quid, quod multa ferunt (*litigatores*) servis indigna, suique
Obliti generis, nunc vilis ad ostia scribae
Mane sedent, illumque forum comitantur euntem;
Observant quam longa dies, et nocte reducunt.
Nunc ubi clauduntur manibus subsellia ferreis,
Lictores solio insignes, virgaque superbos
Suspiciunt humiles, aditumque precantur et orant :
Aut mixti media certant irrumpere turba,
Exclusique, nihil praeter maledicta, levesque
Astantum risus, et verbera saepe reportant.
(Lib. II, p. 79.)

refert, et, nisi fallor, hoc loco vel Juvenalis, vel Claudiani vehementem facundiam legentibus in memoriam redintegrat :

> Vidi cum nr meupedia pranderet in aula
> Henricus, premeret multorum turba virorum,
> Et gravis inficeret loca spiritus, ille sederet
> Angusto medius spatio, fususque per ora
> Multus ei sudor manaret : nam fuit aestas,
> Et sol ardentis superabat brachia Cancri :
> Vidi poscentes a circumstante ministros
> Turba, ut perpaulum secederet, atque fenestra
> Ut daret opposita spatium spirantibus auris,
> Poscebant multis precibus : quis crederet illos
> Impetrare tamen nunquam potuisse; tacebat
> Frater, nec justi dedit unquam signa doloris,
> Sic mendicabat vilem Rex maximus ille
> Aera, quo miser in triviis mendicus abundat.
>
> (Ad Marg. Valesiam, lib. I, p. 58.)

Quo cogitata aptius et ad veritatem accommodatius expromat Hospitalis, saepe translationibus nunc magnificis, nunc autem demissis et de medio sumptis utitur. Ita stoïci constantiam et animi magnitudinem significat :

> ..... Vir fortis nunquam jacet : altius immo
> Erigitur contra, pressusque resurgit, ut arbos,
> Texuntur Graecis victoribus unde coronae.
>
> (Ad Vid. Fabrum, lib. VI, p. 324.)

Navis gubernatori mentem confert, qua destitutus homo in praeceps rapitur :

Ut navis bene firma bono ducente magistro
Spernit et Ionios fluctus, et Iapyga ventum ;
Amisso rectore diu jactata per undas
Tandem illisa vadis scopulovè impacta fatiscit.
(Ad Lanc. Carlum, lib. II, p. 116.)

Cum Guisinus dux, post Quintinianam cladem, ab Italia revertitur, omnes ad illum unum vultus intendunt, in eo omnium spes positae :

Ut sol exoriens concussas grandine silvas
Depressos et humi flores, languentiaque arva
Erigit, et coelum radiis terrasque serenat :
Sic perculsa gravi tu vulnere pectora plebis
Nobiliumque animos reficis, speque arduus imples.
(Ad Franc. Loth. Ducem, lib. III, p. 165.)

Regem pecudum custodi persimilem fore admonet :

Servandi studium gregis, armentique, fide'is
Pastor habet : cujusque rei sua cura magistris.
Ars etiam quaedam dominari in bruta putatur.
Quam si turpe, malumque viris agrestibus artem
Negligere, aut nescire etiam : quam turpius istos
Qui praesunt hominum generi, non illa tenere,
Nec curare, quibus homines populique reguntur!
(De sacra Francisci II initiatione, lib. V, p. 262.)

Ut sublatam orationem adhibet, ita aliquando jucundas venustasque similitudines interjicit, quibus dicendi genus

fere semper gravitate conspicuum paulum remittitur. Hic quemadmodum purpurei flores in pratis arescunt, haud aliter res humanae praetereunt[1]. Illic regum gratia facilis mutatu est, apis instar quae florido in rure circumvolitat[2]. Atque etiam Dominam Brissacam lugens, id avertit quod foedum horridumque morti inhaeret, in hunc modum locutus :

Maturum ut celsa pendens ex arbore pomum
Concidit ad terram leviter spirantibus auris..... [3]

Sic volucrem animam, nulla vi cogente, efflavit.

Alias submissiore etiam stilo scribit. Morbus, inquit, nisi longus non animi utilitati conspirat, brevis enim non imas corporis partes pervadit :

Ut bene multa
Cum simul in terram subitoque effunditur unda,
Non alte penetrat, sed tantum summa rigando
Praeterit : at longo distillans tempore, quamvis
Paucior, ima subit sitientis viscera terrae.
(Ad Card. Loth., lib. I, p. 54.)

1. Caetera praetereunt, siccis ut saepe videmus
Purpureos anni flores arescere pratis.
(Ad Jac. Corbinellum, lib. VI, p. 330.)

2. Gratia regum
Instar apis volitat quae circum florida rura
Nunc huic, nunc alii blandos aspirat amores,
Floribus et notis post paulo inimica recedit.
(Ad Vid. Fabrum, lib. VI, p. 321.)

3. Lib. IV, p. 236.

Judices et causidicos « corvis » comparat[1], litigatores foro inhaerentes muscis a dulcibus uvis, aut canibus a culinae nidore nil deterritis[2].

Fit interdum ut quadam similitudine usus, ad verborum humilitatem descendat, omnemque urbanitem omittat. Ne multa referam, animadvertit Hospitalis alicubi homines saepe commutare quod primum bene statuerint, et ad prava consilia reverti pejora secutos : tunc haud aliter agunt quam :

Quae redit ad vomitum canis, expulsumque resumit
Ore cibum[3].

(Ad Ant. Vaccam, lib. VI, p. 332.)

Alias ab eo notatur crebro ad bonum vertere quae nobis mala videantur :

Et mala quae nobis atrocia saepe videntur,
Non re sunt eadem, quin saepius et bene vertunt,
Et mutata solent nobis afferre salutem :
Ut vomica[4] hostili ferro est adaperta quibusdam.

(Ad Jac. Corbinellum, lib. VI, p. 327.)

1. Ad Card. Marilliacum, lib. II, p. 121.

2. Ergo qui fieri dicemus, ut attigit urbem
Qui semel, inque foro lites intendit acerbas,
Non magis inde abigi quam musca a dulcibus uvis
Possit, vel tepidae canis a nidore culinae.

(Id., id.)

3. Dominae Brissacae filios bonae vineae fructibus, aut etiam « generosae matris pullis » confert :

Ut vero fert ipsa bonos bona vinea fructus,
Et similes pulli generosa matre creantur :
Sic fortes dedit illa viros....

(Lib. IV, p. 237.)

4. Un abcès.

Corporis languor continuus, quem molestum stulte arbitramur, nobis contra prodest, constantiam et fortitudinem nos edocens (quod jam supra deprehendimus) :

Cernis ut ipsa recens a partu foemina, tanti
Vix soleat meminisse dies post quinque doloris,
Et thalamum repetat quem paulo abjecerat ante.
Sic quibus imposuit plagam divina potestas,
Si dolor ex illa brevis exstitit, atque recedens
Relliquias aegro nullas in corpore liquit,
Audebunt etiam foedare prioribus illi
Flagitiis animas, turpique revolvere coeno.
(Ad Card. Loth., lib. I, p. 54.)

Regi praecipit ut nimiam severitatem respuat, medicorum exemplum secutus, qui modo putrida membra, summaque etiam necessitate coacti, excidunt :

Utere parce,
Aut nunquam, horribili gladio, nisi pene coactus
In desperatos, medicorum more, secantum
Arida quae modo sunt, et putrida corpore membra[1].
(De sacra Francisci initiatione, lib. V, p. 265.)

Ut cuique apparet, a medicinae arte multas translationes mutuatur : quod nobis non mirum est reputantibus eum

1. Munera locutus quibus ipse in re publica functus est, vocem « faecem » adhibere haud dubitat.

Ita se ipsum senem effingit principio epistolae ad Ant. Vaccam scriptam :

Surdae aures, lippique oculi male olentiaque ora,
Et calvum sine honore caput, maciesque medullas
Ossibus et toto depascens corpore succum.
(Lib. VI, p. 331.)

medici filium teneris ab annis voces quas adhibet expressas audivisse.

Inter multa insignia quibus dignoscatur Hospitalis dicendi genus, unum est quod fere in omnibus carminibus tibi occurrat, scilicet oratoria facultas. — Seu enim assentatoribus invehitur [1], sive belli civilis flagitia lacerat [2], quibus Gallia laborabat, sive Merindolii caedes vehementer insectatur [3], sive etiam Guisinum ducem Caroli Quinti victorem laudibus extollit [4], aut splendida verborum elatione poeseos jucunditatem celebrat [5], nobis plane facundus orator appellandus est [6]. Ad exemplum oratoris argumentatur, et ad res probandas rationes affert, suo quamque loco ponendo, ubi plurimum valere possit. Adversam partem, ut ita dicam, non metuit, cui litem intendit, nullamque moram, nullum otium patitur, quominus omnia illi perfugia obstruxerit.

Neque tamen existimes nihil esse quod reprehendere aut castigare possimus. Materiae enim partes disponendi imperitus, perturbate scribit Hospitalis et ad alias res transiens, non semper eo unde profectus est redire callet.

1. Lib. II, p. 91.
2. Lib. V, p. 306.
3. Lib. II, p. 106.
4. Lib. II, p. 109.
5. Lib. II, p. 135.
6. Vide quam magna eloquentia Hospitalis falsos accusatores incesserit in poemate *De sacra Francisci II initiatione* (lib. V) a Bellaio in gallicum sermonem translatum (Du Bellay, *Op.*, t. II, p. 482, ed. Marty-Laveaux. — Discours au roy contenant une brevfe et salutaire instruction).

Quod ut certum animo teneas, quamdam epistolam ad P. Castellanum lege (lib. I, p. 68). Quem primum laudibus cumulat, Musarum patronum, Apollinis sacerdotem vocans, posteaque, omni commissura neglecta, a regis amicitia paternam ob culpam remoto sibi veniam implorat. Ceterum haud longe immoratur, multaque clementiae exempla profert parum ad rem pertinentia, ad propositum repetendum inhabilis. Alia in epistola Margaritae Valesiae scripta (lib. II, p. 83), quae sit mens aut voluntas Hospitalis interpretari legenti haud in promptu est. Primum dicas ab eo beneficia rogari : deinde vi et quasi oratoria flamma incensus, homines in adipiscendis honoribus immodicos vituperat, mox flectit ad nimiam Margaritae adulationem, finemque facit, nihil concludere curans. Alias (lib. III, p. 85), postquam Margaritae gratulatus est, quod familiariter cum servis vivit, intempestive quibus indiciis inter se differant animus et corpus, et quae sint ambobus propria disserit; quin immo, in Platonem, Orpheum, Amphionem sermo delabitur, neque jam ulla est nisi postremis in versibus servorum mentio. Hoc in carmine, quo manifesta belli commoda facere tentat, exordiens regis aedes cum tepidis culinis, cum assentatoribus et custodibus, nobis ante oculos proponit, thalamos centum, conclavia centum « et disposita locis Pario de marmore signa » (lib. II, p. 101). Haud aliter, de versutis sacerdotibus locutus, milites mercede conductos

facile ad defectionem inclinare dolet (lib. V, p. 300). Eo minus nostrum in hoc approbamus, quod, cum a proposito digreditur, crebro ad res tritas et pervulgatas flectit. Nunc de falsis criminibus, ut vidimus, nunc de avaritia, nunc de bellorum atrocitate, nunc autem de ruris jucunditate loquitur : ambitionem lacessit, aut virtutis simulationem, aut superbiam; modestiam rursus praedicat, et abstinentiam, et mentis tranquillitatem. Quid plura? nonne enim ex iis, quae supra diximus, hoc satis manifestum?

Eloquentia praestat, fateor, sed cum magis a facundia abhorrere velim : non vitat ampullas et redundantiam et verba quasi extra ripas diffluentia. Frustra apud eum brevem et pressum et adstrictum sermonem quaeras. Ad quorumdam oratorum exemplum, in sententiis creberrimus, longius in communibus commoratur, nedum ad eventum festinet.

Aliquando etiam non anxiam elegantiam et affectationem a se prohibet, flosculos quin immo et putidos ornatus captat, aequalium studiis accommodatus[1]. Addi potest ab eo sententias non semper propriis verbis comprehendi : quippe nimia et excogitandi et scribendi facultate praeditus, non accuratam hanc diligentiam

1. Vide ad J. Bellaium, lib. I, p. 42, ad Marg. regis sor., lib. IV, p 238, ad Venerem, Miscellanea, p. 399 (ed. 1732), ad Marg. Val., p. 421 (id.), ad Annam Aestensem, p. 412 (id.).

adhibet, cui operis sui singulis in rebus auctores seduli student. Cujus carmen sponte sua ad numeros venit, sed rebus non satis aptatum. In conspicua antiquitatis exempla oculos conjecit, neque ideo omnes illius egregias dotes proprios in versus transtulit. Hospitalis denique, veterum alumni, multa sunt, quae non veteribus digna tibi videantur.

CONCLUSIO

Quod si nunc res ad summam nobis considerandae sunt, et omnia ea breviter colligenda, quae antea de auctore nostro singillatim recensuimus, haud immerito, mea quidem sententia, ita concludemus.

E carminibus latinis, quae privata Hospitalis vita, quae fuerit cotidiana consuetudo perspicimus. Dum historias pervolvimus, eum rem publicam gerentem et communi utilitati consulentem animo concipimus : lectis carminibus, intus domique aevum ducentem, postquam aulam et munera reliquit, et cum amicis necessariisque colloquentem. Nos autem juvat ita clarissimorum hominum, qui imperium exercuerunt et primas tulerunt partes, penitus in familiaritatem quasi intrare. Neque solum jucundum, utile etiam singula privatae vitae percurrere, quo evenit ut saepe publice gesta melius intelligamus.

Quod ad Hospitalem attinet, cuique concedendum erit iisdem dotibus publice privateque illum insignitum esse : quae vir publicus, eadem privatus commendavit et coluit. Nullum est praeceptum ab eo in carminibus traditum, cui, summo officio functus, ipse non paruerit.

Aequitatem laudat : nemo est qui eo tempore judices iniquos acrius castigaverit. Sapientiam celebrat : quem fugit maxima constantia, cum apud regem in offensa fieret, aula egressum, rus petiisse, ibique, stoïci philosophi instar, reliquum aevum transegisse? Abstinentiam suadet : quoties ille qui, nullius vel minimae culpae noxius, rei publicae administrationem reliquerat, assentatores aerarium exhaurientes et judices reorum ditissimos pronis auribus accipientes, adortus est! Regis et patriae amorem, magis etiam Dei extollit : omnem autem industriam in hoc diligenter posuit, ut rex et Gallia florerent, et, bellorum civilium pugnis absumptis, in amplitudinem deducerentur. Christiana vero relligio ut malas libidines illius aetatis vinceret tota ope enisus, et ad concordiam cives vehementer hortatus, a Christo indulgentiam discipulos et mansuetudinem et benignitatem didicisse assidue commemorabat.

Dicendi autem genus respicienti in promptu est Hospitalem iis annumerandum sexti decimi auctoribus qui, antiquitatis observantissimi, ab ea bene vivendi, bene scribendi etiam praecepta hauserunt. Nec tamen omitten-

dum eum, cum versus currente calamo fingeret, non satis limae labori incubuisse, quo neglecto nullum esse dignum opus quod laudaretur veteres judicabant. Illi autem gloriae sit perfecisse ut gallica poesis, ab insulsis et inanibus nugis amota, gravia tandem et elata tractaverit. Nihilominus quam Ronsardus, immo paulo supra Ronsardi aetatem, egregium munus poetis sustinendum existimavit, scilicet veritatis, justitiae, modestiae studium apud alios concitare, indignatus eos tantum derogavisse, ut levia et futilia consectarentur, nil aliud quam assentatorum delectationem curantes. Concedo sane a Ronsardo nostrum valde distare, cui eminentium poetarum dotes deficiunt, id est vis ingenii, et quasi divinus mentis instinctus. Cum maxime in animo habuerit hominum mores informare, potiusque eos edocere, quam illecebris delinire, mediocrem igitur operam dicendi generi adhibuit. Venustatem et munditias et cultum respuens, incondito verborum ordine, et aspero eorum concursu non semper abstinet, dummodo ea, quae voluerit, referant. Aliquando rudis apud eum oratio, clausulae abruptae aut tarda et inerti structura sensus, et, quod minorem veniam habeat, verba non semper cum rebus congruentia : cum autem virtutis patrocinium vehementer arripiens, in deterrimos sui temporis invehitur, conscientia fretus, vel propria innocentia munitus, tunc illum libenter poetis, si non stylo accurate dantibus operam, saltem eloquentia

clarissimis, Lucano scilicet et Juvenali, et Claudiano sine dubio aequipares.

Quamvis ita sit, et Hospitalis inter probabiles decimi saeculi poetas annumerari possit, non mirabimur plerosque nostrae aetatis illius carmina ne quidem pervolvisse. Hospitalis enim fama in rei publicae administratione acquisita aliquantulum ejus poemata obumbravit. Nos autem qui in inclytorum civium vita, si non minima, minora tamen nullo modo negligenda arbitramur, non erravisse putamus, nec plane vanum fecisse opus, paucorum doctorum in memoriam revocantes egregium illum virum non mediocrem profecto exstitisse poetam.

Vidi ac perlegi,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
A. d. III Kal. Aug. ann. MDCCCXCVIII.
Facultatis Litterarum in Universitate Parisiensi
Decanus,
A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiae Parisiensis Rector,
GRÉARD.

INDEX NOMINUM

Boxhornius, Boxhorn, Batavus grammaticus (1602-1653), juvenis admodum eloquentiam Lugduni Batavorum (Leyde) edocuit, et Heinsii in locum successit.

Brissaca domina, madame de Brissac.

Campanae silvae, les forêts de la Champagne.

Castellanus, Pierre Castellan, episcopus Matisconensis (de Mâcon), regiae bibliothecae praefectus.

Castillionaeus cardinalis, le cardinal Odet de Châtillon, Coliniaci (l'amiral de Coligny) frater (1515-1571), calvinianorum partes susceperat.

Corbinellus, Jacques Corbinelli, scriptor italicus, sexto decimo saeculo Florentiae natus, cum Medicaeorum gente cognatione conjunctus, ab Hospitali singulariter dilectus.

Dalbenus, Barthélemy Delbène, ignobilis poeta, cujus mentionem facit Hospitalis in poemate quod *Iter ad Nicaeam* dicitur.

Desperiarius, Bonaventure Despériers.

Dracus, Adrien du Drac, senator Parisiensis (conseiller au parlement de Paris).

Espencaeus, Claude d'Espence (1511-1571), Universitatis Parisiensis rector, plures legationes, cardinale Lotharingo jubente, confecit.

Faber Jacobus, Jacques du Faur, in re publica diversis muneribus functus est (président aux enquêtes, maître des requêtes du parlement de Paris, et conseiller au grand conseil).

Faber Vidus, Guy du Faur de Pibrac, prioris nepos, magistratus et poeta (1529-1584), quem *Tetrasticha* nobilitaverunt.

Faius Bartholomaeus, Barthélemy Faye, Lugdunensis jurisconsultus.

Gillotius, Jacques Gillot, unus e doctissimis sexti decimi saeculi magistratibus, natus media hujus saeculi parte, obiit anno 1619, *Menippeae Satirae* auctoribus laboris socius.

Huraltius, Hurault de l'Hospital, Michaelis Hospitalis nepos, qui avi carmina latina anno 1585 in publicum edidit.

Helius Andreas, André Hélie, filium Barth. Faii adolescentem rexit.

Lancelotus Carlus, Lancelot de Carles, ineunte sexto decimo saeculo natus, ad annum 1570 obiit, Regii (Riez) episcopus, Ronsardi, Bellaii et Hospitalis familiaris fuit.

Lotharingus (*Franciscus*), François de Lorraine, duc de Guise, anno 1519 natus, obiit 1563, a Metensi civitate Caroli Quinti exercitum submovit (1552-53), post Quintinianam cladem (la défaite de Saint-Quentin), Hispanos repulit et Britannis Caletum (Calais) detraxit : a Poltroto Matiriacensi (Poltrot de Méré) necatus est.

Lotharingus cardinalis, Charles de Guise, cardinal de Lorraine, Francisci frater (1525-1574).

Marilliacus, Charles de Marillac (1501-1560), legatus Byzantii publicisque muneribus functus, Britanniam (1538), et deinde Germaniam, Bataviamque peragravit : postea Dariorigi (Vannes) episcopus et Viennae archiepiscopus.

Matrona, la Marne.

Merindolium, Mérindol, pagus Aptae Juliae (Apt) vicinus, Valdensium (les Vaudois) caede inclytus (1545).

Messa, Meysse-la-Rocheuse, pagus Hospitalis villae vicinus.

Mettae, alias *Metensis civitas*, vel *Metis*, Metz.

Molinae, Moulins.

Montanus, Montaigne.

Morellus (*Janus*), Jean Morel (1511-1581), Erasmi amicus, graeca, latina gallicaque carmina scripsit, anno 1583 collecta atque inscripta *Royal Mausolée*. Cujus conjux et tres filiae Camilla, Lucretia et Diana, quibus Hospitalis epistolam misit, litterarum studia quoque fovebant.

Morvillierus (*Joannes*), Jean de Morvillier (1506-1577), Venetiae legatus, Aurelianorum civitatis episcopus (1552), Tridenti (Trente) concilio interfuit (1562). Postquam Hospitalis cancellarii munus reliquit, ei in locum successit.

Nicaea, Nice.

Olivarius (*Franciscus*), le chancelier Olivier (1497-1560), Margaritae Navarrae primum, posteaque Galliae cancellarius, multis legationibus functus est, Noviomagi (Spire) (1541 et 1544), et Brugis apud Carolum Quintum (1545). Postquam multos annos in secessu transegit, Francisco II regnante, ad negotia revocatus est (1559).

Paraeus, Ambroise Paré.

Patavium, Padoue.

Philibertus, *Sabaudiae dux*, Emmanuel-Philibert, duc de Savoie (1528-1580), Margaritam, Henrici secundi sororem duxit.

Pinciacum, Poissy.

Pithaeus, Pierre Pithou, doctissimus magistratus (1539-1596), Calvinianae fidei addictus ideoque exsul factus, Sedanum posteaque Basileam (Bâle) petiit : unus ex auctoribus *Satirae Menippeae*.

Puibracius, Pibrac, Guy du Faur, de quo antea diximus.

Quintiniana clades, la défaite de Saint-Quentin.

Romorantinum, Romorantin.

Rotomagus, Rouen.

Sabaudiae dux (*Margarita*), eadem est quam Hospitalis Margaritam Valesiam vocat.

Salmonius Macrinus, Jean Salmon Maigret (1490-1557), quem aequales parum merito, ut videtur, « Horatium gallicum » appellaverunt. Carmina, Odas, Epithalamia, Epigrammata composuit.

Sanctus Germanus in Ledia, Saint-Germain-en-Laye.

Sangelasius, Mellin de Saint-Gelais.

Sanmarthanus, Scévole de Sainte-Marthe (1536-1623), latina et gallica carmina composuit et *Gallorum doctrina illustrium Elogia* (1598).

Scaeva (*Mauricius*), Maurice Scève, obiit anno 1564, Lugdunensis poeta et causidicus, maximas a Doleto, Bellaio et Maroto laudes obtinuit : cujus saepissime commemoratur *Délie, object de plus haulte vertu* (Lugduni, 1544).

Stampae, Etampes.

Thuanus (*Jacobus Augustus*), Jacques-Auguste de Thou, historiarum scriptor (1553-1617), lingua latina scripsit *Historiarum sui temporis libr.* CXXXVIII, *ab anno 1543 usque ad annum 1607* : quorum solum octoginta edidit.

Turnebus, Turnèbe, alias Tournebœuf (1512-1565), in Gallico Collegio graecam latinamque linguam et philosophiam edocuit : cujus in libro qui *Adversaria* inscribitur, multa et doctissima de graecis auctoribus commentaria collegit.

Turnonius (*cardinalis*), le cardinal François de Tournon (1489-1562), Ebroduni (Embrun), Avarici (Bourges), et Lugduni archiepiscopus.

Vacca, Antonio Vacca, italicus poeta, quem Hospitalis Patavii cognoverat : cujus poemata legere est in libro qui *Deliciae italorum poetarum* inscribitur.

Valesia (*Margarita*), ita vocat Hospitalis Marguerite de France,

duchesse de Berry (1523-1574). Francisci primi regis filia, poetas maxima in gratia habuit, inter quos praecipue Ronsardum, Bellaium, Auratumque : nupsit Philiberto, Sabaudiae duci (1559). Necnon Hospitalis multas epistolas ad alteram Margaritam, Francisci primi sororem scripsit, quam Valesiam quoque appellat [1].

Vinianum, Le Vignai, Hospitalis villa, Stampis proxima.

Vlamingius, Pierre Vlaming, batavus poeta (1686-1733), primum causidicus, deinde omne studium suum in carminibus collocavit. Hospitalis carmina an. 1732 in lucem protulit.

1. Vide lib. II, p. 83 et 112, lib. III, p. 179 et 185, lib. IV, p. 238 et 246.

INDEX RERUM

COLUMBARIIS. — EX TYPIS PAULI BRODARD. — 6-99.

COLUMBARIIS
Ex Typis Pauli Brodard.